SSUFISMUS

SIVE

THEOSOPHIA PERSARUM PANTHEISTICA

QUAM

E MSS. BIBLIOTHECAE REGIAE BEROLINENSIS

PERSICIS, ARABICIS, TURCICIS

ERUIT ATQUE ILLUSTRAVIT

FRID. AUG. DEOFIDUS THOLUCK,

LICENT. THEOL. IN UNIVERS. LITTER. BEROL.

BEROLINI, MDCCCXXI.

IN LIBRARIA FERD. DUEMMLERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO ATQUE
EXCELLENTISSIMO

BARONI

STEIN DE ALTENSTEIN

REGIS MINISTRO

INSTITUTIONIS PUBLICAE REIQUE ECCLESIASTICAE
ET MEDICINALIS DIRIGENDAE

SUMMO PRAEFECTO,

LIBERALISSIMO LITTERARUM ORIENTALIUM
MAECENATI,

EXILE SINCERAE GRATITUDINIS ATQUE
OBSERVANTIAE MONUMENTUM
HUNC LIBELLUM DEMISSE OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum in litteris Orientalibus tractandis eo devenissem, ut certam mihi provinciam deligendam esse intelligerem, contuli me, quia in hoc potissimum campo linguarum Orientalium studioso tam late licet vagari, ad ea studia, quae quum in universum ad animum et erudiendum et delectandum egregie valent, tum si Orientem spectant generis humani universam matrem summi cuique mortalium momenti esse debent, ad philosophiae atque religionis studium. At quum inter Berolinensis bibliothecae codices manuscriptos, qui aut Aristotelicam vel Averrhoicam aut scholasticam doctrinam expone-

rent fere nullos, qui erudite de Muhammedanismi sectarumve ratione agerent paucos, multos vero eosque sui generis praestantissimos Ssuficos libros deprehendissem, hoc mihi sumendum putabam, ut sectae hujus memorabilissimae, quae, si novissimo Anglorum calculo [1]) fidem adjungamus, per universam Persiam sparsa, octoginta fere millia fautorum habet, hodieque abstrusa quadam pantheistica doctrina, tanquam olim Neo-Platonicorum familia, Christianismo, mox in illas etiam regiones progressuro, portas pandere videtur, ut hujus, inquam, sectae

---

1) *Missionary Register. London* 1818 *p.* 251. Sic ibi Rev. Schmidt Missionarius in urbe Madras: „But the most remarkable which I heard, is, that there is a number of about 80,000 persons in Persia, called Sophis, who about ten or twelve years ago, openly renounced Mahommedanism, abolished circumcision etc." —

placita ex ipsorum scriptis viris eruditis Occidentalium proponerem, adhibitis simul optimis quae ad manum essent Orientalium et Occidentalium scriptorum auxiliis.

Ssufiorum doctrinam dignum esse argumentum, in quo omne studium collocetur, vidit et monuit Anglus ille doctus,[1]) qui multa cum laude in ipso Oriente litteras Orientales tradit; nec defuerunt inter Anglos qui Ssufiorum doctrinae exponendae curam impenderent;[2])

---

1) *Lumsden Persian Grammar* Calcutta. 1810. p. 409.

2) On the philosophy of the Asiatics. *As. Res. Vol. IV.* Mystical poetry of the Persians. *As. Res. Vol. III.* *Malcolm History of Persia. London* 1815, opus bonae frugis plenum. *Elphinstone Journey into Caboul. London*, 1815. *p.* 207. *Mill, History of Mahommadanism. London.* 1818 *p.* 475 sqq. *Transactions of the litte-*

sed quae hactenus ab iis disputata sunt ad penitiorem Ssufismi cognitionem minime sufficere, quis paulo doctior non sentiat? Sunt enim illa maximam partem e vulgi incerta traditione hausta, carent idoneis argumentis, fundamentum totius systematis non clare ostendunt. Equidem igitur ad hoc opusculum conscribendum me accingens, praesertim quum a rei litterariae summis praefectis, quos gratissimo animo veneror, semperque venerabor, rei meae familiari liberaliter consuleretur, quidquid mea in potestate situm esset, praestare constitui. Subinde quoscunque offerebat bibliotheca Regia

---

rary society of Bombay. London. 1819. Eruditissima est *Leydenii* commentatio *de Ruschenie secta Ssufiis cognata. As. Res. Vol. XI.* — Inter nostrates nemo, quod ego sciam, praeter cl. *de Hammer* Ssufiorum doctrinam delibavit, ejusque propinavit cognitionem eruditis.

et Dieziana ad hoc argumentum idoneos codices conquisivi, conquisitos perlegi, perlectos in usum meum converti; tum collecta materie, quod quum e singulis codicibus, quorum unum tantum aut duos domum auferre licuit, singuli loci describendi essent, negotium erat difficillimum: comparavi cum doctrina Ssufica, varia, quae varias inter nationes prodiere, Theosophiae et Mysticismi principia et sic denique hic libellus enatus est. At me in mediis illis laboribus enixe versantem derepente morbus gravissimus oppressit, vero etiam in vitae discrimen adduxit. Quid tum? Intelligens non curatum iri fractam valetudinem, ni codicum lectio remitteretur, quae inprimis gravaret, utcunque absolvendum erat opusculum, nullis quidem omissis gravioribus momentis, nec ea tamen, quam in principio mihi proposueram, cura et industria adhibita.

A censoribus hujus libelli unum inprimis expeto, ne, ut saepe fit, in rebus parvulis dijudicandis haereant, sed argumentum ipsum expendant, neque immemores sint longe molestius et gravius esse negotium e codicibus manuscriptis aegre excutere materiem ignotam et obscuram, quam materie data atque in ordinem disposita, observatiunculas accuratioresque explanationes adjicere.

Postremo si quae hallucinationes aut calami festinantis aut typothetae hic illic offenderint veniam dabunt aequiores judices, non ignari, tam variarum linguarum rationibus distracto non omnia semper in promtu posse esse.

CORRIGENDA.

P. *6 l. 9 lege: quaestionum.
— 12 l. 9 l.: millia.
— 27 l. 13 l.: origines.
— 28 l. 7 l.: religiosas.
— 44 l. 20 l.: *doctrina eorum* pro *doctrina sua.*
— 50 l. 20 l.: septingenties.
— 51 l. 3 l.: Rabiam.
— 62 l. 3 l.: Deus verus.
— 75 l. 20 l.: discessurum.
— 76 l. 14 l.: amplaque.
— 79 l. 11 l.: duabus.
— 81 l. 19 l.: desideret.
— 84 l. 7 l.: manifestaturi.
— 88 l. 2 l.: Carpocratianos.
ibid. l. 4 l.: externos.
ibid. l. 7 l.: garrulitatis.
— 94 l. 5 l.: posteaquam.
— 98 l. 3 l.: auxilium.
— 106 l. 15 l.: similis.
— 115 l. 2 l.: auroram.
— 121 l. 12 l.: perspicacioribus.
— 123 l. 11 dele: ut.
— 127 l. 5 lege: Origenis.
— 168 l. 16 l.: simpliciter.
— 169 l. 16 l.: saepius.

P. 172 l. 17 lege: quae *cogitari* potest.
— 180 l. 9 l.: sera.
— 186 l. 8 l.: *κένωμα*.
— 197 l. 3 l.: pedestri.
— 199 l. 17 l.: eadem.
— 208 l. 4 l.: *probat* pro *probatur*.
— 217 l. 3 l.: respondissent.
— 235 l. 18 l.: satagens.
— 245 l. 18 l.: negligatur.
— 248 l. 1 l.: reputamus.
ibid. l. 21 l.: acutius.
— 285 l. 1 l.: qui.
— 159 versus persici accuratius sic redduntur: „Ideo hoc *ego* et *tu* creatum est, ut tu tecum ipso lusum obsequii (Das Schachspiel der Dienstbarkeit) ludere possis, ut *ego* et *tu* omnia una anima fiant, atque ad ultimum in amasio absorbeantur." — *Lusus latrunculorum obsequii* in eo consistit, quod singulae substantiae, licet Deus sint, Deo tamen venerationem tribuunt.

Bre-

Brevis codicum quos adhibui et in hoc opusculo laudavi recensio.

Persici.

1. *Metsnewi*, auctore: Muhammed ben Muhammed Dschelaleddin (splendor religionis) Rumi (Graecus), qui natus in oppido Balch diem obiit supremum in Graeco oppido Koniae, anno Heg. 660 (p. Ch. 1262). Perperam Herbelot anno 660. Metsnewi a Dschelaleddino conscriptum esse refert. Opus est quod unanimo eruditorum peregrinatorumque testimonio in toto Oriente mysticorum et Ssufiorum canon habetur atque ideo ad principia eorum discenda maxime idoneum aestimatur. Praestantiam ejus copiose praedicant Chardin T. IV. ed. Langlès. Her-

bel. art. Metsnewi. Chabert in libro: Latifi Nachrichten von türkischen Dichtern, Zürich 1800 p. 33. Malcolm History of Persia T. II p. 193. Fundgruben T. II. Hammer Gesch. der pers. Dichtk. Wien 1818 p. 163 sqq.

De ratione qua Dschelaleddin in Metsnewi docere solet, agit cl. Hammer ibid. Continet enim liber ille narratiunculas diversissimi generis variisque digressionibus interruptas ita ut qui capitum inscriptiones adspexerit nullum scribendi ordinem nullamque rerum continuationem ei inesse putet; nihilo tamen minus accuratius rem indaganti sententiarum satis apta continuatio statim apparebit neque ullibi novae inveniet narrationis initium quod nexu quodam, licet levi, cum antecedenti oratione non cohaereat. Nec hoc mirum, nam in capite: De mysteriosa Ssufiorum dicendi ratione, omnes narratiunculas pro involucris tantum altioris veritatis habendas esse ipsis adeo Dschelaleddini verbis declaratur: Metsnewi cod. Ms. p. 12. „Agedum experiamur! tecte vero malim amici (Dei) mysterium tra-

dere; quare narratiunculis tibi auscultandum est; certo enim praestat amicorum mysterium per narratiunculas alienorum significare.“ — Inde sat perspicitur non tam ad fabulas fuse enarratas quam ad praecepta esse attendendum aut historiunculis (saepius praesertim in prima parte e Curano depromtis) expressa, aut eisdem appendicis instar annexa atque unum inprimis ubique in promptu habendum, quidquid de amore et amasio dicatur, id neminem spectare nisi Deum.

Habet Metsnewi Dschelaleddini praeter sex partes genuinas septimam quandam sublestae fidei; ex his tres tantum priores in Dieziana bibliotheca exstant. Pars prima in Vol. 71 oct., codice eleganter scripto; versibus hic illic notulae turcicae, arabicae et persicae adsparsae. Pars altera et tertia in Vol. 10 quarto, codice minori cura et fugitiva manu exarato.

2. *Ghulschen ras.* (Mysterii rosarium) Bibl. Dieziana No. 3. oct. Opusculum haud minori apud Ssufios auctoritate quam Mets-

newi, v. Chardin, qui P. IV p. 453 haec habet: „Ils (les Sofis) ont un livre, où tous leurs sentiments sont recueillis tant sur la philosophie que sur la theologie lequel on peut appeller leur somme théologique; ils le nomment Gulchen raz, c'est à dire parterre des mystères pour donner à entendre, que c'est une théologie mystique.“ — Idemque affirmat Bernier v. Voyage au grand Mogol. Amsterdam 1699. Tom. II p. 163 „c'est là la doctrine (la doctrine d'une ame de monde) comme universelle des Pundits Gentils des Indes, et c'est cette même doctrine qui fait encore à présent la cabale des Soufys et de la plûpart des gens de lettres de Perse et qui se trouve expliquée en vers Persiens si relevés et si emfatiques dans leur Goult-chen-raz ou parterre des mystères.“ —

Quis auctor hujus libri fuerit, incertum videbatur cl. Diezio in catal. codd. mss. In Dieziano enim codice postremi versus manci videntur:

غرض زین جمله این بود کز عزیزی
عزیزی گویدم رحمت بر او بود
بنام خویش کردم ختم پایان ،
الهی عاقبت محمود گردان

„Consilium in hoc opere litteris mandando, id fuit, si vir religiosus es (*asisi*; vox *asis* quae proprie: fortem, eximium, carum virum notat vulgo de monachis seu mysticis usurpatur) — — — Asisi vocor, misericordia Dei dignetur! Nomine meo librum obsignavi (i. e. fini nomen apposui) cujus absolutioni Deus faveat.“

Versus hic desiderantur duo homoeoteleuti cum voce عزیزی et او بود sed vel his versibus omissis evidens est poetae nomen Asisi esse, neque aliter judicavit qui Catalogum Parisiensium mss. composuit, nam ibi Tom. I p. 295 legitur: „Gulchen raz ubi de legibus, quas Muhammedani puriori vitae addicti servare debent, quod opus ab Azizo

anno Heg. 717 conscriptum est." — Idem liber invenitur in Bibl. Publ. Lugdunensi v. Catal. p. 475 no. 1644 cum commentario Abu Hebegü.

De ratione operis conscribendi ipse auctor agit cod. ms. p. 4. „Anno septingentesimo decimo septimo legatus venit ex Churassanica gente, quae quam sit sapiens, quam ingeniosa quis est qui nesciat. Scripserat ille quaestionum libellum poeticum ac quidem super Absoluto, prae metaphorarum et imaginum multitudine, quos ex mysticorum more adhibuit, haud facilem intellectu. Hunc quum aliquando palam amicis suis legeret, affluebat. Derwischorum et mysticorum magna turba, atque inter hos forte aliquis erat qui saepius me eodem de argumento disserentem audiverat. Hic ut legato responderem me rogabat ac quum rem satis a me in epistolis tractatam esse praetenderem, ille: Imo vero, inquit, nunc versibus tibi docenda est. Omnibus denique etiam atque etiam rogantibus et urgentibus non potui quin eorum

optatis me facilem praeberem. Composui utcunque ex tempore libellum, quo libenter et comiter accepto, legatus unde venerat, illic rediit. Rude quidem opusculum meum, etiamsi enim multas scripserim genealogias, nullum tamen unquam carmen; quid quod ne Metsnewi quidem totum perlegi: at id ignoscebant amici. Legato autem in patriam profecto, iterum instabat amicus ille, ut, quod libellus Churassanico datus contineret, id denuo ac copiosius dicerem. Ego vero, licet bene intelligerem, nunquam futurum esse, ut meis scriptis appulsus numinis aut ecstasis illi attraheretur, tanti tamen viri preces recusare veritus, simulatque ipsa mysteria clariori luce offusurus, ad opus, quod cupiebat, me adcinxi et psittacus animi mei sic est dicere exorsus:“ —

Non minori simplicitate et claritate quo hoc prooemium, totum opusculum conscriptum est, quod mirum sane in Orientali, tumido dicendi generi tantopere favente. Pluris itaque respectu ad Ssufismum illustrandum

tum ob orationis claritatem, tum ob acutam et fere philosophicam sententiarum sublimitatem Asisii opusculum aestimo, quam totum Metsnewi.

Non multo post Asisium mortuum Gülschen rās in turcicam linguam translatum est a Scheicho Schirasi sub imperio Orchani v. Latifii Biogr. p. 41. Orchanus autem imperium tenuit a. 726 — 761 H. Reperitur turcica versio Dresdae in bibl. regis v. Paulus Memorabilien, Stück 4. p. 7 no. 115.

3. *Tohhfatol ebrar* (Munus piorum) auctore: Abdurrahhmem ben Dschami de quo v. Herbelot art. Giami et Hammer, Gesch. der pers. Dichtkunst. Natus est anno 817 Heg. (1414 p. Ch.) prope Herat, caput Churassaniae in pago Dscham, e vita recessit a. 898 H. (1492 p. Ch.) — Quaeritur utrum auctor nomen تحفة الاسرار mysteriorum munus an تحفة الاحرار i. e. munus ingenuorum an تحفة الابرار i. e. munus piorum libro praefixerit? — In alio codice Dieziano no. 25

possessor libri primo folio adscripsit تحفة الاسرار in alio 97. oct. تحفة الاحرار in alio omnino desideratur titulus. Beatus de Diez in Catal. mss. تحفة الاسرار genuinam arbitratur inscriptionem, praesertim quod ipse Dschami in postremis carminis versibus illud libro nomen posuerit. Id vero, ni fallor, non nisi perperam e versibus illis elici potest. Scribit ibi Dschami: „Excutit hic liber seras in palatio puritatis, diffundit rosae odores ex ramo fidelitatis, auroram lucis Ejus (Dei) profluentis quaerit, sinus est humanitatis, horreum mysteriorum Ejus." — Enimvero dictione: horreum mysteriorum, non libri titulum innuit, quod quum bene cl. Diezius intelligeret, addidit in Catal. „Gewiſs würde Dschami sein Buch Schatz der Geheimnisse genannt haben, hätte nicht schon Nisami's Werk Ghendsch el Israr diesen Namen geführt." — In catalogo bibliothecae Oxoniensis p. 47 recensetur: Tuphatol abrar, quod probabiliter a nostro opere non diversum

est. In catal. bibl. publ. Lugdunensis Schemü Efendi quidam Dschamii *munus ingenuorum* in turcicam linguam transtulisse dicitur ac Dresdae v. Paulus Memorab. St. 4. p. 10, no. 62 idem liber asservatur titulo: Tohhfat olahrār. Hammerus in Gesch. d. p. Dichtk. p. 320 eundem Dschamii librum constanter تحفة الابرار piorum munus, appellat. In tanta igitur inscriptionum varietate tutissimum videtur cl. Hammeri auctoritatem sequi, qui plures haud dubie codices adhibuit. Huic nostrae opinioni praeterea favet τὸ homoteleuton libri: Subhatolebrar, cui quum omnino Orientales in titulis librorum studeant, probabiliter etiam Dschami.

4. *Ssubhat ol ebrar* (Piorum orbiculi ad preces) auctore eodem Dschamio; codex e bibl. Diez. 97 oct. in uno volumine cum codice Tuhhfatolebrar. v. de hoc etiam libro Hammeri Gesch. d. p. D. p. 322. — Argumentum libri Ssubhat fere nihil discrepat a ratione libri Tuhhfat., tantum enim abest ut

Orientales Europaeorum more ad scribendum accedant diu argumentum scribendorum librorum praemeditati, ut saepe nihil dubitent ab aliis vel a semet ipsis sexcenties prolata mutatis tantum verbis denuo in lucem emittere, ut primum occasio data est. — Longa praemissa praefatione in qua *Dei laudibus* ex more magnifice exhibitis Muhammedes et socii in coelum tolluntur, agit Dschami in Tuhhfat de creatione mundi, de veritate (Ssufica) invenienda et inquirenda, de veri Ssufii virtutibus ect. atque idem plane argumentum licet paullo diffusius explicatum recurrit in Ssubhhat.

5. *Beharistan* (Hortus vernus) auctore: eodem Dschamio. Libelli hujus jucundissimi prima inprimis pars meum propositum spectabat, propter varia et ingeniosa Scheichorum dicta facete ibi relata; reliquam partem minori cura examinavi. Caeterum adeatur Hammer in Gesch. d. pers. Dichtk. p. 337, plura daturus.

6. *Dschauher adsat* (Substantia essen-

tiae i. e. declaratio verae numinis essentiae in tota rerum universitate diffusae.), auctore Ferideddin Attar (i. e. margarita religionis), illustrissimo illo Scheicho, in lucem edito Kerkeni prope Nischaburum a. H. 618 (Chr. 1216). Intelligenter cum de hoc Attari opere tum de caeteris disputat Hammerus, ex quo discimus Dschauher adsat duas complecti partes et quinquaginta circiter millia versuum. At Diezianus codex (no. 1, duodec.) libellus est valde exiguus, vix 5000 versus complectens, in quo ne loci quidem illi exstant, quos Hammerus in libro suo Gesch. d. p. D. in vernaculam transtulit, hunc itaque majoris operis epitomen esse colligo. Quod ad orationem libelli nequeo cl. Hammero non assentire, cui jam notatum est elumbe, prolixum atque incompositum dicendi genus; excipiatur duntaxat exordium, quod derisa sapientiae et studiorum vanitate graviter revera ac summo poetico nisu amoris vim insuperabilem et divinam cum ex universa natura tum ex animi humani vestigiis detegit.

7. *Teskiratol Aulia*[1]) (vitae sanctorum), auctore: eodem Ferideddino Attaro, id quod compertum habeo (desideratur enim in codice Berolinensi auctoris nomen) ex erudita notatione in Ephem. Hal. April. 1819. Continet volumen amplissimum (no. 74 fol. Berol. ant. bibl.) sexaginta octo sanctorum vitas. Praefatio arabica praeclarum est eloquentiae Orientalis specimen, docet in ea auctor, de ratione libri disserens, se ad hoc opus conscribendum non minus Derwischorum preci-

1) Vocem *weli* pl. *aulia* ولي varii varie, plurimi perperam reddidere. Vera vocis notitia aperitur e loco Asisi Nessephitae Tartari, qui cod. ms. p. 34: „hactenus, quod Deum appropinquavit dicitur Muhammedes *weli* (i. e. proximus); hactenus quod divinam voluntatem aperuit *nebi* (i. e. propheta); *welajet* propinquitas idcirco interior pars prophetiae, contra prophetia exterior pars est propinquitatis.“ — Enimvero *propinquus* quum in vernacula obscurum videatur, verti potest: sanctus.

bus motum contulisse quam innato altius Scheichorum historiae indagandae studio; nam juxta proverbium: *Homo cum eo, quem amat*, se jam puerum saepius in solitudines discessisse, nullo socio comitatum, nisi Scheichorum scriptis ante alia omnia sibi caris. — Multa hoc volumen ad legendum et jucunda et utilia continet, de quibus, Deo favente, alias.

8. *Bustan* (Pomarium) no. 47 fol. ant. bibl. auctore: Musslihh-eddin Ssaadi. Sublimi illa venustate, qua caeteros Orientalium poetas excellit, in hoc quoque narrationum volumine divus Ssaadi elucet. Utinam et Pomario Ssaadiano contingat suum nancisci Gentium et Herderum! — Nostram ad rem tertium tantum caput pertinere videbatur, hujusmodi inscriptum: „De amore atque adumbratio itineris (i. e. morum doctrinaeque) sanctorum eorumque amicitiae (sc. cum Deo)." — Ad hoc legendum multum juvabat:

9. *Commentarius ad Bustanum*, 42 oct. illustrissimi commentatoris Ssururi Mustaphae,

cui, quum alias turcice commentari soleret, nostro operi Persicam explicationem adjungere placuit, utilem illam quidem ad vocum sed parum ad rerum cognitionem. Attamen unum saltem locum valde memorabilem invenimus inque lucem protulimus.

10. *Mirchondi historia.* Volumen primum in bibl. ant. no. 20. fol. Praeclarum historicum non totum perlegi, sed primi voluminis ea capita, in quibus Mirchondus a mundo inde condito Adae, Patriarcharum, Israelitarum et Domini Jesu Christi historiam persequitur. Labor esset profecto haud infructuosus, si quis harum historiarum materiem aprocrypham sejungeret, digereret sanoque judicio ponderaret. Nam magnam historiae suae partem Mirchondus, ut ipse affirmat, e libro Dschaberi Anssariensis deprompsit. Dschaber autem, Mirchondo referente, paganus erat, qui ante Muhammedem aliquot annos omnium gentium religiones perscrutaretur, Christianorum Judaeorumque scholas audiret, veritatis lucem desiderans, donec victus

suada Muhammedis facundia ad Muhammedanismi signa se conferret. Quid igitur? Nullasne omnino certas traditiones Dschaber collegerit? Fac vero corruptae sint maximam partem; quis hanc ab causam prorsus eas abjiciat? Sic, ut hoc utar, non plane inutile esset mythi insipientissimi originem aperire, qui Jonam Judaeum [1]) (Isfrajini eundem mythum narrans loquitur de Paulo) trium sectarum auctorem facit, Nestorianorum, Jacubitarum et Malekitarum. Non raro enim fit ut traditiones corruptissimae ad graviorum rerum cognitionem viam pandant.

11. *Kitab Hussnije* auctore: Scheich Asod-

1) Novit et Dschelaleddin hanc fabulam, eaque usus est in carmine suo immortali. — Suspicor mythum ad discordiam respicere inter Judaeo-Christianos et Helleno-Christianos Antiochiae concitatam, ubi Paulus quasi novae sectae auctor Judaeo-Christianos reprimeret. Sapit fabula Ebioniticum quid.

Asoddin. Ms. Diez. 102. q. In hoc libro brevis exhibetur Schiiticorum dogmatum adumbratio, ac quidem ad Scholasticorum rationem, id est strictiori explicatione magisque dogmatica; tangit auctor hic illic etiam Ssufios.

Arabici.

1. *Caswini Geographia*, 133 q. in bibl. Diez. Auctor libri Abu Sakaria Muhammed ben Muhammed Alkaswini, Plinius Orientalium, magno et eximio, quod super natura scripsit, opere celebrior redditus est, quam quod plura oporteret de eo dicere. v. Casiri Catal. bibl. Escurial. et illustrissimi de Sacy Chrestom. Arabicam, T. III p. 414. — Codex Geographiae Diezianus descriptus est a. 1818 a Tunesio cive Mardochai e codice Parisiensi. Mirabile videri sentio ad Ssufismum illustrandum Geographiam in auxilium vocatam esse, enimvero notari debet ita Caswinum rem instituisse ut quidquid urbes insigne haberent recensens, nec virorum aut sanctitatis aut eruditionis fama praeclarorum praeteriret

memoriam, exhiberet ideo utcunque Ssuforum quoque illustrium res memoratu digniora. Hinc planum fit hujus Geographiae adjumentum, praesertim quum pauca exstent de fatis Ssufiorum historica monumenta, minime spernendum fuisse.

2. *Liber quadraginta principiorum*, ms. Diez. 102 q., auctore eruditissimo Muhammedanorum theologo Abu Hamed Muhammed ben Muhammed ben Ahhmed Al Ghasali ex urbe Thuss, qui ex vita migravit Baghdadi a. 1127 p. Ch. Hunc autem Gasalium, operis nostri auctorem esse, dubium redditur loco mirabili p. 11 cod. ms.: „De Orthodoxis haec dicit Imam Ghasalius, cui Deus misericordem se praebeat, in libro Almaksad Alakssa المقصد الأقصى." — Quid? Num differt, qui hic Imam Ghasalius dicitur, a theologo illo illustri? Minime vero, nam hic ipse librum condidit Almaksad Alakssa. Attamen nostri libri auctor ad opus احيا العلوم Ihhia Alulum (de restaurandis litteris) sexcen-

ties lectorem ablegat v. c. p. 21, 35, 210, 236, 246, 264 cod. ms. ac quidem diserte addens: „vide quod nos illic scripsimus." — Quin etiam oratio atque adeo sententiae libri: De quadraginta principiis, haud paucae plane conveniunt cum stylo operis: De litteris restaurandis. Hoc vero ab illustrissimo Ghasalio editum esse novit universus Oriens, neque ullo modo negari potest, siquidem liber vix in lucem emissus propter haereticas nonnullas sententias Chalipha jubente rogo imponeretur. Nihil itaque aliud restat, nisi librario incurioso verba illa tribuere, quibus Ghasalius, ut defunctus, prospera fertur memoria; nam sane et loci laudati et stylus gravius afferunt argumentum, quam quod isto singulari loco refelli possit.

Legit librum quadrag. princ. et Hottingerus atque laudavit in Historia Orient. Tigur 1660 p. 565, auctoris tamen nomine haud indicato. Asservatur praeterea in Lugdunensi bibl. v. Catal. no. 346: „Ghasalius de fundamentis riligionis Muhammedicae, opus in

quatuor partes digestum, quorum quaelibet 10 „radicibus constat.“ —

Vir erat Ghasalius, si quis alius, vere divinus, quem merito ac jure Origeni in aequoponere licet, tam ingeniosus, tam eruditus, tantaque dogmatum scite et digne interpretandarum facultate instructus. Quod ipse animo suo excelso bonum, sublime et egregium cognoverat, id Muhammedanismo subjiciens Curani dogmata tam pie et docte ornavit, ut hac in forma me judice et Christiani assensione digna videantur. Quod Aristotelica philosophia quodque Mysticismus Ssuficus egregii habet sapienter ad theologiam Muhammedanam accommodavit, ad religionem commendandam et illustrandam omnibus ex disciplinis materiem conquisivit, universisque suis studiis pietas sincera summaque religiositas majestatem imposuit verendam. Quid quaeris? Perfectissimus erat Muhammedanorum theologus.

3. *De litteris restaurandis.* no. 55 fol. ant. bibl. auctore: eodem Ghasalio. Opus

vastae magnitudinis, in quo universas theologiae disciplinas tractat idque pro more suo ingeniose quidem et egregie, sed non raro contra receptas Muhammedanorum interpretationes. Bibl. Berol. quinque posteriora libri volumina habet, id est sextum, septimum, octavum, nonum et decimum. Sextum agit de amore, septimum de sinceritate, octavum de observantia, nonum de meditatione, decimum de morte et statu defunctorum.

4. *Vitae virorum illustrium*, auctore: Ibn Chalican. Opus classicum et penitus inter Europaeos cognitum e dissertatione Tydemanni: Conspectus operis Ibn Chalicani. Lugduni Batav. 1809. — In Dieziana bibl. duo tantummodo vitarum volumina exstant. Equidem legi vitas sanctorum, Ssufiorum, theologorum: in unaquaque elucet sollertia singularis consummataque Chalicani sapientia. Historicus est tantae eruditionis tamque intelligentis judicii, quanti vix singulos singulis saeculis Oriens profert.

5. *Descriptio et historia Aegypti et*

Cahirae, auctore Ssujuti. Nihil erat in hoc alioquin praeclarissimo et doctissimo opere meam rem spectans, nisi Ssufiorum Mysticorumque Aegyptiorum vitae, inter quas primum locum obtinet vita Dhul Nuni hominis religiosi sanctitatis aeque ac doctrinae fama ab Aegypto ad Indiam usque inclyti. Quanti Ssujuti ad Aegyptum cognoscendam prosit, videre est e notis illustrissimi de Sacy ad Abdallatiphi: *Res memorabiles Aegypti*.

6. *Liber discriminis inter sectas*, auctore: Imam Abu Mudhaffar ben Muhammed Al Isfrajini. Laudatur in Starkii Specimine vers. coran. Col. Brandenburg. 1692. fol. 73. — Liber egregius, quem totum fere transcripsi. Memorat, quin rite et dilucide describit a Muhammedanismo inde orto omnes deinceps Muhammedanorum sectas et factiones, quibus recensitis transit ad Brahmanorum, Graecorum Judaeorumque placita strictim dijudicanda; de his ex consilio breviter minusque accurate, de caeteris tamen docte et copiose disputatum est.

7. *Commentarius ad librum institutionis in doctrinas scholasticas*, bibl. Diez. fol. 42. In rationem hujus libri inquirere, quum nuper demum in manus meas incideret, temporis angustia prohibitus sum. Scripsit ejusdem tituli librum Abussina, nostrum tamen Abussinae esse probare nequeo. Utcunque vero se res habet opus illud amplissimum summa est scholasticae doctrinae doctissime elaborata, nec omnino philosopho illo acuto indigna; eisdemque eruditionis et diligentiae laudibus commentarius etiam ornandus perpetuus ille et diffusus, quem nescio quis bona fortuna operi adjunxit, difficilibus dictionibus et sententiis perquam impedito.

Turcici.

1. *Scopus extremus*, auctore: Asiso Nessephita (ex oppido tartarice Nachscheb dicto Abulf. Clim. XXVI p. m. 44). Libellum habemus super hoc codice conscriptum a viro immortali de Orientalibus studiis quid non merito Andrea Müllero: Excerpta Ma-

nuscripti Turcici de cognitione Dei et Hominis a quodam Azizo, fragm. edidit, vertit et illustravit Andreas Müller. Col. Brandenburg, 1665. — Persequitur Asisi Nessephita Mysticorum et Unitariorum (اهل وحدت واهل تصوف) sententias de Deo, de prophetis, de scientia acquirenda ect. Multum hunc librum legenti scire refert quodnam Noster hominum genus nomine اهل تصوف et اهل وحدت appellaverit. Ego vero haud dubito affirmare, haec neutiquam sectarum quarundam nomina esse ignobiliorum, sed duarum ingentis numeri partium, in quas intelligentissimi et religiosissimi quique Muhammedani, pro eo, quo praeponderaret animus quantumque in unoquoque lucis et ingenii esset, se abstrahi passi sunt. Id enim non modo e Nessephita patet sed ex aliis quoque libris, in quibus nomina اهل التصوف et اهل وحدت generaliorem notionem obtinent; Ssufios enim etsi اهل التصوف

(mysticos) dicere queas, minime tamen vice versa omnes mysticos Ssufios nominare licet.

2. *Clavis piorum et lampas luminum*, auctore: Ferideddin Attar. Hic libellus quamvis ea, qua hic legitur forma non editus sit ab Attaro, quoad materiem tamen uni Attaro tribuendus est. Confecit Attar libellum titulo تمامي الاسامي i. e. Perfectio Nominum, in quo carminibus duobus persicis vocabulorum et figurarum mysticarum explicationem subjecit, hanc ipsam explicationem turcico carmini annexam turcice in nostro libello Noster exhibuit. Nomen et natales interpretis turcici ignoramus. Abundat quidem Oriens innumerabili scriptorum multitudine figuras mysticas vel copiosius vel accuratius explicantium, nos interea, aliis adminiculis destituti: nihilo secius hoc adjumentum avide arripuimus.

Caput primum.

De nomine Ssufiorum.

De nomine sectae magna est opinionum dissensio. A familia quadam Arabum *Al Assuffuan* آل· الصفوان, qui Caabae olim inservientes religiosiores habebantur eam nomen invenisse ob similitudinem sanctimoniae Ssufiorum Samachschari vult, [1]) alii a voce صفّة *Ssuffa* nomen petitum esse contendunt, [2]) portica quadam juxta templum Me-

1) v. Pococke Specim. Hist. Arab. Oxon. 1806. p. 360.

2) v. Gagnier: la vie de Muhammed. T. III p. 308. v. Diez Buch des Kabus, p. 848. Inprimis huc pertinet Muradgea d'Ohsson Tableau de l'orient, Paris 1790. fol. T. II p. 294. — Doct. Reiske, etsi hanc sententiam in Tomo Abulfedae secundo retractat, in primo Tomo,

dinae a Muhammede exstructum, ubi paupe-res aliquot, quibus aedes propriae non essent, abdicata rerum humanarum cura diversari solerent, quorum Ssufii instituto haud absimiles sint, alii vocabulum صنّف *ssiff* quod ordinem sive classem notat, afferunt, quasi eos dicas, qui respectu Dei cujus cultui se totos dedunt in primo sint ordine, alii denique a صوف *ssu* arcis nomine prope Haleb et particula في *fi*, *in*, appellationem Ssufiorum deducunt. [1]) At quis vel primis linguae arabicae elementis imbutus, non videt has origenes grammaticis legibus ad unam omnes repugnare. Incurrunt autem in eandem difficultatem qui nomen illud a verbo صفا (sincerus, purus fuit) deducendum existimant, nam si ita esset, substantivum ad grammaticas leges formatum صفّي sonaret, non vero

---

nota 87 ad p. 199 primariam vocis Ssufi notionem in vocabulo صفّة quaerit.

1) v. Chardin voyages ed. Langles T. V.

صوفي, neque ad hanc originem confirmandam ipsorum valet Ssufiorum testimonium, [1]) utqui saepenumero اصفيا *assfia*, *puros* se appellent, quasi vero ignoremus tales verborum notationes etiam a veteribus nullo alio consilio factas esse quam ut praecepta quaedam pia relisiosasque cogitatioues commode inde petere possent. Sunt hujus generis

---

1) Alludit huic etymologiae: Dschami in Tohhfat ol ebrar in مقالت capite undecimo:

اي زصف تير دلان خم زده
وز صفت اهل صفا دم زده
دل نشده صافي زنام آوري
نام برآورده زصوفي گري

et Asisi in Gülschen cod. ms. pag. 83.,

يكي پيمانه خرده ازمي صافي
شده زآن صوفي وصافي را اوصاف

et apud Malcolm History of Persia T. II p. 409 et Pococke specimen p. 361.

exempla quaedam in scriptura sacra nec minus in priscis Graecorum monumentis.

Praeterea fuerunt etiam, qui magnum quendam doctorem Al-Ssoufi auctorem Ssufitarum facerent (v. Chardin ed. Langl. T. IV), at quum Ssufii jam ante secundum Hedschirae saeculum florerent, ille vero tertio demum saeculo viveret, ne haec quidem conjectura sufficit. Restat itaque ut aut ad Graecum vocabulum σοφος [1]) confugiamus, aut ad Arabicum صوف (i. e. lana).

---

1) Quid cl. Hammerus sibi velit nescio, qui in Gesch. d. pers. Dichtk. p. 364 in nota haec habet: Der Imam Kaschairi leitet den Namen von تصوف Enthaltsamkeit ab und diese Ableitung, welche bis ins dritte Jahrhundert der Hedsch. steigt, hat manches vor der neuern voraus, welche das Wort von صوف dem Wollenkleide, welches die Sofi tragen, ableitet. Allein beide dieser Etymologien scheinen unrichtig; die heutigen Sofis sind gewiſs so der Sache wie dem Namen nach, mit den Gymnosophi-

Utraque opinio suos habuit fautores atque etiamnum habet. Equidem quominus priori accedam variis eisdemque satis gravibus rationibus impedior. Primo enim neutiquam est verisimile philosophos Graecos tempore illo, quo cum Arabibus Graeci commercium haberent, vulgo esse σοφȢς dictos, ita ut traditione nomen ad Persas pervenerit. Alia autem quam traditionis via non potuit ad eos manare, utqui nulla Graecorum

---

sten verwandt, die schon Alexander in Indien fand, und das arabische Sofi und Safi (rein) gehören derselben Wurzel an wie das griechische σοφος und σαφὶς." — Quómodo factum sit, ut vir spectabilis etymologiam a تصوف originem nominis repetentem non modo non probaverit sed non statim rejiciendam duxerit, haud extrico. Quid enim Ssufi a Tessawwuf deducere est aliud, quam *abstinens* ab *abstinentia?* — Quod autem σοφος et σαφες in Graeca ab una radice sunt, quid hoc ad Gymnosophistas et ad Arabicam linguam in qua صوفي non vox nativa est, sed derivata? —

scripta nisi in vernaculam suam translata legerent, neque unquam Graecae linguae addiscendae operam darent. Fac vero innotuerit, qui factum est, ut peregrinum nomen, qui peregrina quaeque ut profana fugerent, sibi arrogarent? — Porro et hoc est alterum meum argumentum, si vox *Ssufi* e Graeca originem trahit, quid est causae, quod non litteram *Ssin* ad eam consignandam adhibebant, ut assolent Orientales in vocabulis non Semiticis? Nunquam enim سوفسطا et فيلاسوف *Sophista* et *Philosophus* cum litera *Ssad*, scribitur, quae hebraico et syriaco Zade respondens sonum habet Occidentalibus plane ignotum. 1) Neque ad contrarium probandum voces adhiberi possunt, in quibus velut in vocabulo اصطرلاب Ta longum ط litteram ص sequitur, nam bene notum est ad leges litterarum commutanda-

1) Hieronym. ad Jes. XI: Proprietatem Zade inter Z et S latinus sermo non exprimit.

rum saepius accidere ut س ante ط in ص mutetur, insuper regula commutandi ط ne constanter quidem observata est, siquidem, ut hoc utar, Constantinopolis nomen cum س et ت scribunt استنبول. Haud inepte vero sententiae nostrae nomen templi ἁγίας σοφίας opponi possit, quod, licet e Graeco sermone petitum, nihilominus litteram Ssad adscivit: ايا صوفيا, atque aperte fatemur huic dubitationi quod respondeamus nihil nos habere quam quod sentiamus Muhammedanos in vocabulo illo litteris consignando, Ssufiorum fortasse nomen recordatos, subjecisse, ad aliarum gentium exemplum, sub peregrina voce notam sententiam.

At venio nunc ad causam praecipuam, quae quominus a Graecis, nominis origo repetatur inprimis obstat, ad ingentem illam Graecae philosophiae a doctrina Ssufica discrepantiam [1]) Qua enim aetate Graecanicae philo-

[1]) Malcolmus longe aliter sentiens propter utrius-

philosophiae studium inter Arabes etiam incalescebat, alia Arabum pars sedulo amplexa Aristotelem, omnibus religionis vinculis nodisque ruptis ingenue profitebatur nullam viam cogitari posse tutiorem atque ad rerum inveniendam veritatem commodiorem argumentatione philosophica liberaque omnino disputatione; alia (المتكلمون scholastici) religionem, a Deo, ut putabant, traditam cum Aristotelica philosophia jungendam censebant atque utramque doctrinam pariter excolendam; alii antiquae Orientalis theosophiae fragmentis conquisitis Muhammedanismo speciem theosophico-mysticam induebant; alii denique universam aversati philosophiam coeco studio litteram scriptam tuebantur, repudiatis qualibuscunque novis sententiis. Ex his vero

utriusque doctrinae similitudinem apud Graecos originem quaerit. v. Hist. of Pers. II. p. 384. At cogitat vir clar. de philosophia Plotiniana.

diversis ingeniorum generibus primum [1]) solum nomen reperit philosophorum فيلسوف, neque id caeteris ingratum erat. Nam quum philosophi Curano religionique Muhammedanae divinam auctoritatem detrahere auderent, coronam multo sanguine paratam, adeo philosophi nomen [2]) in commune Muhammedanorum odium adducebatur, ut mox qui phi-

1) Scholasticam doctrinam ne recensebant quidem Philosophi inter philosophicas disciplinas, quod videre licet ex Abussinae libello: *De divisione scientiarum* et ex Nassiroddini Thussiensis *Praefatione ad Ethicam*.

2) Hoc tempore philosophi appellatio *veteratorem* in Oriente notat. v. Malcolm II p. 41: „The word philosopher was formerly they stat[e] applied to Plato and others, who are known under the more dignified name of حكما or men of science. Impostors in philosophy appear in the East to have degraded the term of philosoof which in the idiom of the present day signifies a man of deceit and art." —

losophus idem et infidelis audiret.[1]) — Quid igitur? Num Ssufios, qui acerrimo studio theosophiae mysticae dediti erga philosophorum vanas argumentationes odium immortale susceperant, quibusque nullum unquam cum Arabicis nedum cum Graecis philosophis commercium fuit, num hos nomen a Graecis petitum prorsusque insolitum non solum in suam linguam recepisse sed sibi ipsis adeo vindicasse arbitremur? Equidem, ut hoc credam, nullo modo a me impetrare possum. — Jam igitur ab arabico vocabulo صوف (lana) appellationem derivare explosis omnibus aliis sententiis, tutissimum videtur.[2]) Haec enim

---

1) In Glossis ad Dschelaleddinum creberrime legitur: فيلسوف أي منكر philosophus id est infidelis.

2) Non invitus profecto, si erro, cum Reiskio erraverim qui in notis ad Abulfedam T. II p. 297: „Sola vera est et grammaticae ipsique rei congrua etymologia, qua a Sof (lana) Sophiorum nomen derivatur.“ —

etymologia, quamvis non parum Scaligero aliisque Europaeis stomachum moverit, adeo tamen universo Arabum, Persarum, Turcarum consensu probata est, ut nihil in eorum scriptis vulgarius sit, quam dictionem لبس الصوف (lanam induit) de eis usurpare, qui aut in Ssuficam aut in monasticam aliquam congregationem se recipi volunt; imo vero adhibeatur etiam phrasis illa ubi Christianorum [1]) institutorum monachicorum mentio incidit. — Insuper argumento huic per se satis valido haud parum firmitatis additur eo, quod nulla etymologia melius origini Ssufiorum

---

1) Hesārfen, ut hoc utar, auctor compendii Historiae turcici in bibl. Diez. ms. turc. p. 248, sub imperio Philippi Arabis prima Christianorum monachica instituta condita esse memorans his verbis utitur: کیشیلک و تنها لرنده عزلت اتمکی بونک زمانندہ صوف وقوع بولدي i. e. tunc temporis coeptaverunt lanam vestire atque ab hominum recedere communione. —

competit, utqui e monachica congregatione progressi nonnisi lanam gestare coacti essent atque obligati. Nam nemo arbitror ignorabit religiosiores viros, apud gentes omnes, dum lautiores sericum aut alia pretiosiora vestimenta induerent, pro rigidiori morum habitu, lana usos esse vel adeo ciliciis; atque hoc idem est quod legimus de prophetis veteris testamenti Hebr. 11. 37. περιῆλθον ἐν μηλωταῖς καὶ αἰγείοις δέρμασιν et Zach. 13, 4. Eaque consuetudo tam sacra visa est Muhammedanis ut in hunc quoque diem, qui e sacerdotum numero sancti volunt et religiosiores haberi serico omnino abstineant ipsique reges, hora precibus constituta amictu laneo Deum venerentur depositis regiis suis splendissime e serico fabricatis vestibus. *)

Proinde annuente, quod in negotio hujus generis maximum est, non solum linguae usu, sed Ssufiorum etiam causa atque conditione, nihil prorsus haesitans ad eorum par-

---

*) Videatur Chardin et Muradgea d'Ohsson.

tem transivimus, cui nominis originem petere placuit ex arabica lanae appellatione.

Caput secundum.

De origine doctrinae Ssuficae.

Quanquam virorum doctorum, qui hactenus hoc de argumento disputaverunt (Langlès, Reiske, Hammer, Malcolm) persuasio fuit, utrum a Graecis an ab Indis materiem doctrinae suae Ssufii sumserint id quidem in ambiguo esse relinquendum, quin aliunde autem petierint nullam habere dubitationem, equidem tamen, qui perspicue videam ex Muhammedanismo ipso vestigia Ssufismi commode licere aperire, profiteri coactus sum, tantorum virorum sententiae me accedere non posse. Nam quod ad Indicam originem attinet nullo haec sententia historico aliove valido argumento nititur. Referunt quidem scriptores Orientales cum Graecis et Mani-

chaeis Haereticos quosdam familiaritatem contraxisse, ut de Nodhamo Isfrajini [1] scribit, sed de Ssufiorum cum Indis commercio nihil uspiam legitur neque obiter quidem a viris illis doctis, quando aut qua ratione decreta Indica in Persiam illata sint, indicari potest, nam Feisi, [2]) qui Schacho Akbaro imperatore, in India versabatur, huc non pertinet. Affinitatem theosophiae Indicae in Upnekhato, Boghovat-ghita aliisque libris traditae cum Ssuficis placitis permagnam esse, [3]) quis paullo doctior infitias iverit, nec tamen ea

1) v. cod. ms. arab. p. 60.

2) v. Hammer Gesch. d. pers. Dichtk. p. 408.

3) v. Langlès ad Chardin IV passim. — Isfrajini cod. ms. p. 138 memorat etiam Brahminos pantheismum docere et prophetas tollere. Idem testatur H. Martyn, qni diu in India et Persia versatus est v. Memoir of the Rev. H. Martyn. Lond. 1819 p. 413. „The Soofies consider all Brahmins as philosophers of the same school with themselves.“ —

major quam, quae obtinet inter ingenium Indicum et Persicum; quae enim natura in diversissimis orbis terrarum regionibus hominem finxit pari praeditum ingenii indole, eadem etiam causa exstitit paris in variis et longe inter se distantibus terris ingenii humani efficientiae.

Graecam vero Ssufismi originem, nisi nomen male e Graeco idiomate explicatum fraudi fuisset, nemo facile defenderit in tanta utriusque doctrinae diversitate, omnibusque earum cohaerentiae documentis deficientibus.

---

1) Video hic ab historiae systematum philosophicorum peritioribus mihi objectum iri: Quid? Nonne Aristotelicus Tuphail (saeculo duodecimo p. Ch.) in libro suo: Historia Ebn Joktan, cum alias mysticas sententias, tum dogma mysticae unionis prorsus philosophice exposuit? Undenam hic hausit nisi ex Aristotelis commentatoribus Alexandrinis Plotinicam suam doctrinam? Tu Aristotelis tantum rationem

Antequam autem veram Ssufismi originem doceamus, aliam, quae mihi hac de re meditanti forte subnata est, cogitationem, quia plus habet probabilitatis, quam antea

---

habes, nonne vero constat plurimos ejus commentatores Alexandrinos fuisse? Nonne ita via aperiebatur decretis Plotinianis? quae revera nihil fere discreparent a Ssuficis? — Ego vero concedo id quidem, sed primum reputandum est, Syncretistis Aristotelicis emanationem quidem Plotinianam, non autem itidem et caetera mystica Plotini dogmata placuisse; deinde bene considerandum a Tuphailo ipso unionem mysticam *mysterium* vocari *Orientalis sapientiae* حكمة مشرقية (v. Phil. autodidactus. Oxonii 1691. ed. Pococke p. 2), quam si a Graecis esset edoctus certo non ita appellasset. Multum quoque tribuit Tuphail in eadem memorabili praefatione Ghasalio, quia procul dubio penitus fuerit in mysticismi mysteria initiatus: verum Ghasalius Ssufiorum sectator erat. Luculenter itaque apparet Tuphailum nulli alii fonti sapientiam debere suam arcanam nisi theosophiae Orientali.

expositae non praetermitendam censeo. Reputans enim Magorum multitudinem, quae, praesertim in septentrionali Persia remanserat,[1]) multosque Ssufiorum praeclarissimos doctores in septentrionali Churassanica provincia natos intelligens,[2]) simul arbitratus quemadmodum lingua olim transiit ab Indis ad Persas, ita in opinionum varietate, quae jam Agathiae tempore (v. *Agathiae hist.* ed.

---

1) Adhuc quarto Hedsch. saeculo Faristani provincia quaeque suum habebat igni sacratum templum v. Ebn Haukal Or. Geogr. pag. 85. Etiamnum 40,000 ignicolae in Persia degunt. v. Vocabul. Pehlevi-Persan ap. Anq. Zend-Av. T. II. p. 477.

2) Ipse conditor Ssufiorum Abu Ssaid Chawerani in pago Churassanico vitam accepit v. Casw. Geogr. cod. ms. art. خاوران p. 206, praeterea ab eodem Caswino Churassanici dicuntur Scheichi illustrissimi. Schakik Balchi p. 190, Ahhmed ben Hedrawija p. 190, Abu Hamsa et Abu Ssaid Hesās cod. ms. p. 296.

Vulcan. p. 64) Persas distinebat, doctrinae quoque Indicae partem ad eosdem transiisse, lapsus sum aliquando ad opinionem: Ssufismum Mamunis fere aetate a Magis excogitatum esse in Churassania residuis Indicoque mysticismo imbutis. Accedit ad hanc sententiam commendandam quod saepe legimus sectarum conditores aut a magicis familiis genus ducere, aut saltem familiaritate cum Magis conjunctos fuisse, [1]) ne dicam de eo, quod ipse Muhammedes haud fastidivit e mythologia Persarum eorumque superstitionibus in Curanum suum nonnulla suscipere.

---

1) cf. Abulfeda II ed. Reiske p. 51., de Baschar ben Burd Annot. Reiskii 54. v. Isfrajini cod. ms. de Ibn Hajit et Nodhamo Magorum familiaribus, porro de primis Batenitis, inter quos etiam Barmacidas recenset, qui clam Magismum foverant ignique sacra fecerant cod. ms. p. 130. adde Ibn Chalicanum in vita Mansuri Helādschi sub Chalifa Muktadiro in crucem acti, itidemque a parentibus Magis oriundi.

Verum enimvero priusquam huic opinioni aurem praebeamus, quaeritur hic primum, num in Magismi historia, pro eo quantum nobis est cognita, alicubi forte Ssufismi vestigia aperta sint, quod nos utique, fatemur, affirmare non possumus; [1]) deinde num

---

1) Nam Indis et Sinensibus luculentissima mysticismi documenta proferentibus, Send Avesta, quod demirari non desino, ne levissima quidem abstrusioris doctrinae indicia prodit, quare incidit mihi suspicio, quae eo jam crescit, quod in Dabistano nequaquam talia desiderentur, Anquetilum, virum cujus similem aetas nostra nullum tulit et alioquin praestantissimum, in eo tamen lapsum esse, quod Orientalium opiniones nimis interdum nostro ingenio adaptaverit et accommodaverit. Neque id tantum patet e versione Send-Avestae, sed quodammodo etiam e notis ejus ad Upnekhatum, in quibus Fichtium, Reinholdum alios in doctrina sua statuenda juvare vult Upnekhati auxilio. Idem ei accidit in sua de Servan-Akerene sententia,

vel leve hujus originis indicium aut Ssufiorum historia praebeat aut doctrina? Hoc vero quum itidem negare coacti simus, diffidamus, oportet, huic quoque opinioni eaque non minus repudiata atque caeteris adhuc prolatis, nihil reliquum est, quam ad Muhammedanismum redire inque monachismi Muhammedici historia fontem quaerere, in intimos Ssufismi recessus nos ducturum.

In Muhammedanismo, quia cum militari imperio coenobitica vita haudquaquam convenit, monachismus a Muhammede non modo improbatus sed graviter prohibitus est, unde traditio, quae semper in ore Muhammedanorum: لا رهبانية في الاسلام *Nullus sit in Muhammedanismo monachismus!* Non desunt vero clarissima indicia, cum Muhammedem tum omnino Arabum nationem toto animo ad monasticam vitam proclives fuisse. Ob eam enim speciosis verbis praedicat pseudo-pro-

---

quam docte labefactavit Tychsenius in Commentat. Gotting. Vol. II. 1797.

pheta Christianos ejusque originem istis a Deo praeceptam tradit in *Curano Sur. V. v.* 15. *et Sur. VII. v.* 27. Sentiens praeterea cives suos vitam coenobiticam tam flagranti studio fovere, ut non facile se comprimi et coerceri pateretur, pronunciavit: *Pro monachismo a Deo maximo peregrinationem Meccensem positam esse.* [1]) Porro jam ante Islamismum regem quendam Arabum Keis ben Soheir in Christianorum monachorum ordinem receptum esse legimus (v. Pococke spec. hist. Arab. p. 84). Muhammede ipso adhuc superstite *socii scamni* أصحاب الصفّة, de quibus in capite disputationis nostrae primo dictum est, in similem se consociationem conjungebant. Duodequadragesimo Hedschirae anno Uweis Karni, illustris Arabiae desertae anachoreta, mul-

1) v. Ghasalii liber quadrag. princ. cod. ms. arab. p. 35. جعل الله سبحانه الحجّ رهبانية لامّة محمّد

tos sibi religiosos tum ad anachoreticam tum ad monasticam vitam ducendam aggregavit.[1]) Alios rigidioris abstinentiae leges sibi imposituros ipse sua auctoritate a consilio capto Muhammedes depulit v. Curanum, Suram V v. 89 ed. Hinkelmann. —

Neutiquam igitur mirabile est, quod quum tam insigni rei monasticae studio Arabes flagrarent, ab ipsis primoribus prophetae discipulis Abubekro et Alio paucos post Muhammedem defunctum annos monachicae congregationes constituebantur. Jam vero haec instituta, quod videre licet e Muradgea d'Ohsson T. II p. 296 ed. fol., omnium deinceps monasticarum consociationum parentes exstitere, ex eisque, docente Dewletschaho, [2]) ad duodecimum usque post Chri-

---

1) V. Muradgea d'Ohsson. Tableau de l'Orient ed. in fol. II p. 293.

2) In libro suo praeclaro: De poetarum vitis. E codice hujus libri Gottingensi particulam mecum communicavit sua manu descrip-

stum saeculum omnes prodiere quos claros habuit Ssufismus doctores atque magistri. Sic enim Dewletschāh in vita Dschelaleddini: „Praeclarus Dschelaleddini nostri magister doctore usus est Al Fārisso Rokneddino Ssedschaschiensi, qui ipse magistrum habuit Dhia-eddinum Abu Nedschibum Ssehrawerdium; hunc erudivit Scheich Ghasalius; Ghasalii praeceptor exstitit Abubekr Ennessādsch, qui sequebatur Abul Khassemum Ghurghanium; is discipulus erat Abu Othman Almaghrebiensis. Abu Othman Abu Alium Rudbarium magistrum suum profitebatur atque Rudbarius doctrinam suam a Scheich Dschuneido acceperat capite sapientum. Hujus-

tam beatus meus Schroenerus, nuper Parisiis funere immaturo, quod omnes ex animo lugent litterarum Orientalium fautores, amicis, litteris, patriae abreptus. Utinam litterae Orientales multos tanta eruditionis copia instructos tantoque discendi ardore patronos nanciscantur! —

jus vero praeceptor fuerat Sseri ben Muflis Assakti et Assakti discipulus erat Maarufi Carchiensis. Hîc (catena) filum in duo discreta fila disjungitur, quorum alterum pertinet ad Dominum Geniorum atque mortalium Ali ben Mussa, cujus Deus misereatur atque hinc a patre ad patrem usque ad Prophetam Muhammedem, alterum ad Scheichum Ssulimān, tum ad Wetabium (dubito num hoc nomen recte legerim) porro ad Habibum Adschemiensem deinde ad Hassanum Bassriensem, qui discipulus fuit Alii Filii Talebi." — Quo documento nescio quid uberius aut luculentius cogitari potest. — Verum enimvero ne tam disertis quidem testimoniis egemus; quandoquidem sanctorum illorum mens et ingenium, qui post potissimos Muhammedis apostolos et vicarios Abubekrum et Alium, aut monachorum praesules facti aut aliis piis consociationibus praefecti decus et dignitatem sibi adjungerent et quorum vitas multi descripserunt eique praeclarissimi scriptores, certissima edit atque gravissima indicia mysticismi

Ssufici jam illa aetate noti. Quorum vitas ad demonstrandum id quod nobis propositum est integras inserere sane praestaret, hoc vero quum in spatii angustia fieri non possit, aliqua eaque maxime notabilia eorum dicta apponamus, quibus quodammodo saltem mystica pietatis illius monachicae natura manifestetur. Sancti in primo Hedschirae saeculo maxime conspicui hi fere sunt: Hassan Bassriensis, Baschar Hāfi, Schakik Balchi, Mālik Dinār, Habīb Adschemiensis, mulier Rabia. Horum vitas et effata nonnulla exhibuerunt Ibn Chalican, Caswini, Dschami, Attār, alii. Nos minus memorabilia, quae Chalican, Caswini, Dschami, Dschelaleddin habet, praetereuntes Attari librum Teskiratolaulia in medium proferemus.

Ac primum quidem de Hassano Bassriensi effatum ibi memoratur cod. ms. fol. 19 vers.: „Primum eveniet, ut beati per sentingenties mille annos ecstasi obstupefiant quia patefacta majestate divina prae reverentia ejus peribunt, venustateque ejus conspecta ab unitate

absorbebuntur." — Porro huc pertinet narratiuncula in Tesk. ol Aulia cod. ms. fol. 38: „Conveniebant aliquando apud Rubiam aegrotantem Hassan, Mālīk Dinār et Schakīk Balchi, Hassan dixit:

ليس بصادق في دعواه
من لم يصبر علي ضرب مولاه

Ille sincerus non est in precibus suis, qui Domini plagas ferre recusat.

Tum eum excipiens Schakīk:

ليس بصادق في دعواه
من لم يتلذذ بضرب مولاه

Ille sincerus non est in precibus suis qui non laetatur de plagis Domini.

At Rabia egoitatis odorem in his verbis persentiscens sic locuta est:

ليس بصادق في دعواه
من لم ينس الضرب في مشاهدة مولاه

Ille sincerus non est in precibus suis, qui Dominum suum adspiciens non obliviscitur omnino plagas." —

Narrat de Rabia Ibn Chalican historicus diligentissimus [1]) nocte eam intempestiva tecti culmina adscendere, ibique vociferari fuisse solitam: O mi Deus! Tacet nunc strepitus diei, tacent voces, et in secessu amasio gaudet puella, ego vero solitaria gaudeo consuetudine tua, te enim certo verum meum amasium profiteor!" — Inprimis relatu dignum aliud Rabiae dictum in Tesk. ol Aulia fol. 33. recto „Exclamavit quondam ambulans per campos: Dei desiderium me cepit, glebâ quidem et lapis Tu es, Te tamen ipsum videre haveo. Tum Deus excelsus sine causa media (بي واسطة) ipse in corde ejus fatus est: O Rabia! Nonne ad aures tuas pervenit quum Moses Dei adspectum expetivisset, montem cui particulae tantum aliquae majestatis divinae se manifestarent, vehementer conquassatum et perruptum esse? Tu ergo nomine meo contenta esto!" — Adde

---

1) v. cod. ms. arab. artic. Rabia. — Defuncta est mulier pia anno 135 H.

Tesk. cod. ms. fol. 351: „Rursus Meccam Rabia petiit, at vero Caabam cujus venerandae causa venerat conspicata, Domino, inquit, Caabae mihi opus est, quid mihi Caaba? Equidem enim tam prope accessi (puta: ad numen divinum) ut effatum illud: — Qui spithamam mihi appropinquat, ei Ego ulnam appropinquabo — de me valeat, quid ergo ad me Caaba?" — v. ibid. fol. 35. v. „Rabia, monita aliquando ab amicis ut conjugium iniret, conjugii, inquit, vinculis jamdudum persona mea (وجود من) constricta est, ideoque existentiam meam in me exstinctam dictito, sed in Illo (Deo) recreatam, atque inde ab illo tempore in imperii Ejus umbra degens, tota Ille sum. Proinde expetat me, qui suam me sponsam vult, non a me sed ab Illo. Tum interrogata, quo demum modo ad hunc gradum adscendisset, — Eo, inquit, quod omnia quae inveni perdidi in Eo (sc. Deo). Verum Hassano Bassriense iterum quaerente: Qua vero ratione Eum nosti? — O Hassane! respondit, tu nosti ra-

tione et modo quodam, ego vero sine modo." — ibid. fol. 30 verso: „Interrogata quondam: Num tu vides Eum, dum Eum colis? Certo, reposuit, video, quem enim non viderem, non colerem." — ibid. fol. 37 verso: Quum in violentum morbum aliquando caderet, de ratione morbi rogata: [1]) De deliciis, exclamavit, paradisi cogitavi, ideo me castigavit Dominus meus." — ibid. fol. 37 verso: Alio tempore dixit: Interna pectoris mei plaga conficior quae nisi conjunctione cum amico meo curari nequit. Semper languescam donec teneam die novissimo metam meam! —

Haec sunt mysticismi ex primo Hedschirae saeculo exempla nonnulla haud contemnenda, quorum cum Ssufismo summa congruentia nemo harum rerum admodum peritus negaverit, quippe in quibus totius Ssuficae doctrinae semina atque elementa non possint non agnosci.

---

1) En alteram de Guyon! Non est quidquam sub sole novum.

Secundum Hedschirae saeculum praecipuum sane locum in Muhammedanismi historia obtinet, in quo vix esset Graecorum philosophia intra Muhammedanos illata, quum ingens oriretur opinionum dissidium, πατροπαράδοτον docendi et credendi genus hic immutaretur, illic aboliretur, alii e partium studio in asceticam solitudinem recederent, omnia denique in novam rerum formam verterentur. Vidit hoc saeculum ortum quatuor legitimarum Muhammedanismi factionum Hanbeliticae, Schafeiticae, Haneficicae et Malekiticae, vidit initia atque incrementa theologiae scholasticae, Mutaselitarum, Bateniticorum errorum, magni ordinum monachicorum numeri, postremo ortum Ssufismi.

Hoc eodem saeculo, dum omnia saevo tumultu miscebantur et dubitatio de religionis veritate multorum implebat simulatque conturbabat animos, mysticismus, ut fieri solet et alias, magis magisque in constantiorum pectora sese insinuans permagnam patronorum copiam nactus est longe lateque ramis

suis emissis. Surrexerant in ordinibus diversissimis viri conscientiae impetu concitati, qui relicta priori vitae consuetudine ad in solum negotium incumberent, ut fervidum divinarum rerum atque religiositatis studium civibus suis commendarent, nec praeceptis tantum sed vitae exemplo, quid amor posset divinus, ostenderent. Quo ex genere erat Ibrahim Adham [1]) qui sceptrum et pallium imperiale, fuerat enim ditionis Balchianae princeps, et Fedīl Ajād [2]) qui gladium latro-

1) Abulfeda ed. Reiske T. II. Herb. art. Ibrahim Adham. Casw. cod. ms. p. 190 et p. 11. Metsnewi cod. ms. T. II. p. 203. Beharistan cod. ms. Raudat 1. Teskirat ol aulia cod. ms.

2) v. Abulfeda, Herbel., Casw. cod. ms., Beharistan cod. ms. et inprimis Teskirat ol aulia cod. ms. fol. 40 recto. Facere non possum quin narratiunculam prodam a Dschamio in Beharistano servatam v. Raudat I: „Quum e Fedīlo Ajādo perconctarentur quis turpis esset, respondit: Qui Deum aut timore colit aut spe

cinii et rhenonem (utor verbis biographi in Teskirat ol Aulia) cum cilicio commutavit. — Quid? ullane quaesumus Ssufismo condendo convenientior aetas cogitari potest?

Interea autem temporis revera Ssufismi fundamenta posita esse, colligere licet ex eo, quod inde a ducentesimo Hedschirae anno crebram ejus mentionem apud scriptores invenimus. Constat Ssuficos jam Schafeitae tempore floruisse, qui vita excessit anno ducentesimo quarto H., namque exstat in Tesk. ol Aulia fol. 108. vers. dictum legisperiti illius, ubi Ssufii nominatim laudantur: „Dictitare

---

praemii, rursusque quaerentibus: Tu vero quomodo Deum colis? *Amore*, inquit, *et amicitia, amoris enim nodo in servitute ejus teneor.*" — En dictum egregium! —

Praeterea e doctoribus hujus saeculi notandi sunt: Ssufian Tsuri et Maaruf Carchiensis de quibus agit Abulf. T. II. p. 110. Casw. cod. ms. p. 267. Bustan cod. ms. cap. 12. Chilcanus. — Eorum vitas integras exhibet Teskirat ol Aulia.

Schâfeita solitus est: Scientia totius mundi meae scientiae non competit, at vero mea ipsius scientia non competit scientiae Ssufiorum." — Non minoribus laudibus Hanbal Ssufios ornat v. ibid. fol. 110. v.: „Affirmavit Hanbál praestare Ssufiorum otiosam in Deum confidentiam aliorum hominum anxiae sedulitati." — Hanbal autem in lucem editus a. 161 H. diem obiit a. 241 H.

Affertur etiam nominatim conditor Ssufiorum, quem Caswinius, in cujus sententiam it diligentissimus Europaeorum scriptor Chardin, *Abu Ssaid Abûl Cheir* appellat. De Ssaido haec habet Caswinius in Geogr. cod. ms. art. خاوران p. 206: „Fuit Ssaid conditor rationis Ssuficae sive mysticae طريقت التصوف et Chānkaha exstruxit (Castelli: خانقاه xenodochium sive domus Dei amore exstructa in usum Ssufiorum), suosque bis quotidie cibum sumere jussit. Omnium Ssuficorum institutorum auctor est itemque vitae solitariae Ssufiorum. Dixit ali-

quando: Deus excelsus Nigritam mihi misit, qui quoties a precibus desisterem mihi acclamaret baculo me impellens: Dic o Deus! — [sequitur hic historiuncula cujus seusum ob depravatam scripturam capere non licet] — Ssufiorum Scheichi ad unum omnes ejus discipuli sunt, eorumque disciplina nititur factis praeclaris prophetae nostri venerandi." — Quibus Caswini verbis Chardinum adjungimus v. ed. Langlès Vol. IV. p. 553: La commune opinion marque la naissance de cette secte à l'an 200 de l'hégire par un cheic Abusahid fils d'Aboulkheir, qui eut beaucoup de sectateurs et de disciples, parcequ'il étoit grand philosophe, homme fort austère et qui prétendoit à une plus étroite observation de la religion Mahométane que tous les autres docteurs." — Quid Ssaido de consilio et ratione Ssufiorum visum fuerit, proditum est in Dschamii Beharistano cod. ms. pers. Raudat I: „Quum e Scheicho Abu Ssaid Abul Cheir percunctarentur quid sit Ssufismus — Quod in capite habes, inquit, depone; quod

in manu, profunde; ac quidcunque tibi obveniat nunquam recede!" —

Jam vero nos persecuti mysticorum historiam atque a Dewletschaho de perpetua edocti mysticos priorum saeculorum cum Ssufiis connectente serie, vel haec ipsa considerantes quae de Ssaido Caswini et Chardin referunt, in eam partem judicium nostrum reddemus, ut nullo quidem modo laudem conditi Ssufismi Ssaido detrahendam censeamus, dubitemus tamen an, jam data universa doctrinae copia et materie, nihil aliud ei debeatur quam monachica ferventiorum mysticorum consociatio. — In hoc nobis de origine Ssufiorum judicio acquiescendum videtur, ad cujus adstruendam veritatem haud pauca adjiciet argumenta universa nostra dogmatum Ssufiorum expositio multo clariore luce offusura nexum inter Ssuficam et mysticam disciplinam, qui hic nonnisi per transennam indigitari potuit.

Reperto itaque Ssufismi fonte ejusque primaria forma explorata jam progrediendum

est ad brevem variarum (quas temporibus succedentibus subiit vicissitudinum conspectum. Haud enim diu intra simplicioris pietatis purique mysticismi fines se continuit. Discesserant saeculo tertio in duas potissimum partes, quarum utraque, altera Bustamio duce (exstinctus est B. anno 261 H., teste Caswino cod. ms. p. 170.) apertius, altera ex Aliana consociatione progressa Dschuneido capite (obiit anno 297 H. v. Abulf. T. II p. 320 et Casw. cod. ms. 103 et 295) tectius, mysteriosum dicendi genus affectare ordiebatur, abstrusae scientiae arcana prae se ferre perniciosaque in populum dogmata disseminare. Haec est causa ob quam Bustamium tam graviter arguit et increpat Ghasali apud Pocockium Spec. hist. Arab. Oxonii 1806. p. 263. „Eo processit res ut quidam unionem cum Deo ejusque sublato velo visionem et colloquium familiare jactitent, dicentes: Dictum est nobis ita et Nos ita diximus, et similes videri volunt Hossaino Al Halajio qui morte multatus est et cruci affi-

xus ob verba quaedam hujus generis ab ipso prolata, quod scilicet dixerit انا الحق: Ego sum veritas (seu Deus versus)! uti et narratur de Abu Yezido Al Bustamiensi dixisse ipsum, سبحاني سبحاني Laus mihi! Laus mihi! [seu Ego divinis laudibus celebrandus!] Est autem genus hoc sermonum, magnorum apud vulgus malorum causa, adeo ut agricolae nonnulli terrae culto relicto, talia sibi vendicaverint, quum delectetur natura hujusmodi sermonibus, qui opera negligere permittant, cum opinione interim animi mundandi, assecutione graduum nescio quarum et qualitatum — haec opinio magna peperit mala, adeo ut imum eorum qui futilia ejusmodi blateret morte afficere religioni Dei convenientius sit quam decem vivos conservare." — Haec Ghasali referente Pocockio. Ac revera quidem divinitas hominis apertius quam ab alio ullo a Bustamio pronuntiata est, multaque ejus dicta ac praecepta tam stolidum fanaticismum sapiunt ut imperitiores

vel ad Indicum Quietismum vel ad Carpocraticam aut Beghuinicam legum contemptionem ducere potuissent. Teskirat ol aulia cum alia tum haec servavit ejusmodi de Bustamio effata: v. cod. ms. f. 88 rect. [1]) „Dixit

---

1) Non fit quidquam sub sole novum ait Ecclesiastes. Quantumvis vesana haec Bustamii pantheistica verba videantur, jam tamen inter Christianos iidem plane errores obtinuerunt. Ad verbum congruunt quae S. Epiphanius de Messalianis tradit. v. Epiph. opera ed. Petavii Vol. I p. 1069 οἱ δε λογοι αὐτων, ἀφρονων ἐπεκεινα· ὁν δε μεν τινα ἐπηρωτησης ἐξ ἀυτων ὁρμωμενον, ἐκεινον ἑαυτον φασκει, οἱοντε ἐθελοις, ἠτοι γαρ προφητην εἰποις λεξεσι ὁτι προφητης εἰμι, ἠτοι Χριστον ἀν ὀνομασης φασκει ὁτι Χριστος εἰμι; ἠτοι πατριαρχην τον αὐτον ἑαυτον ὀνομαζει ἀναιδως, ἠτοι Ἀγγελον και ἑαυτον λεγει. „Sed eorum sermones omnem stoliditatem superant; quemcunque enim ex illis interrogaveris talem se qualem volueris esse fatebitur. Sive Prophetam dixeris, Prophetas se esse dicent, sive Christum nomines Christum se esse quilibet respondebit. Sive Patri-

Bustami: Ego sum mare sine fundo, sine initio, sine terminis. Interrogatus: — Quid thronus sit? — Ego thronus sum Dei! reposuit — Quid tabula (in quam incisa sunt decreta divina)? — Ego sum tabula! — Quid calamus Dei (ὁ λογος per quem Deus creavit)? — Ego sum calamus! — Quid Abraham, Moses, Jesus? — Ego sum Abraham, Moses, Jesus! — Quid angeli Gabriel, Michael, Israfil? — Ego, inquit, sum Gabriel Michael, Israfil; quidquid enim ad veram essentiam pervenit in Deo absorbetur, proinde Deus est." — fol. 88. vers. ibid. „Dixit Bustami: Dum homines Deum sibi videntur adorare, Deus se ipse adorat." — porro fol. 90 recto: „Dixit aliquando Bustami Deo: Quamdiu mi Deus inter Egoitatem et Tuitatem me manere vis, remove Egoitatem et Tuitatem ut

Ego

---

archam hoc ipse sibi nomen impudenter attribuet, sive angelum denique talem non dubitabit se asserere." —

Ego nihil fiam." — et fol. 87 verso ibid. „Si die novissimo ex me quaerent: Cur non fecisti? satius id habebo, quam si: Quid fecisti? interrogarent, nam quod facio Egoitas mea est, Egoitas vero idololatria, at idololatria sane peccatis quibusvis deterior." — Pervadit etiam Orientem fama incredibilis de Bustamii ad coelum adscensione, de qua etsi in omnibus religiosiorum Muhammedanorum scriptis tanquam de re certa atque indubitata agatur, nescio tamen, eodem nomine mysticis supremum mysticismi gradum nuncupantibus, an existimandum potius sit, quod longe majorem habet probabilitatem, Bustamium tam insolita phrasi ceu figura metaphorica usum esse neutiquam vero nativo vocabulorum sensu. Nihilominus autem verum est Bustamium de adscensione sua, magnifice et graphice descripta, in Tesk. ol Aulia cod. ms., apud Gladw. in Bombay Transactions, Lond. 1819, p. 100 et praesertim in libello quodam turcico ms. ant. bibl. Berol. n. 54, ampla et grandia effutivisse. — Hæc Bustamius. Alianæ autem

consociationis princeps Dschuneidus, quem lucem Ssufismi profitentur, tametsi manifesto in eosdem errores et ipse inductus erat, majori tamen cautione usus nunquam tam abstrusum et paradoxum sermocinandi genus usurpavit. Adscribamus e Teskirat ol Aulia suarum quoque sententiarum aliquas v. cod. ms. p. 186 recto: „Quum ex Dschuneido quaesivissent quando servus Dei vere servus dici queat, respondisse fertur: Si persuasum ei est e Deo esse omnia orta, in Deo manentia atque ad postremum ad eundem reditura.“ — ibid.: „De Tauhīd (Das Eins seyn. Vocabuli notitiam aperiemus in cap. IV) interrogatus respondit: Ubi certa scientia cognoveris motus et quietem a Deo creari sine ulla humana operatione, Tauhīdi leges observasti.“ — ibid.: „Finem Ssufismi ita descripsit: Animum a perturbationum impetu saepius recurrente liberare, removere naturae habitus, exstirpare naturam humanam, reprimere sensuum instinctum, adsumere qualitates spirituales, scientiis veritatis in altum vehi, quodque bo-

num est facere, en finem Ssufismi!“ — Quibus Dschuneidi sententiis haud absonum erit aequalium subjungere celeberrimorum effata quatuor. v. Tesk. ol Aul. cod. ms. p. 197 v.: „Abul Hussein Nuri (qui simul cum Dschuneido Sserio Ssaktio magistro utebatur v. Casw.) hoc effatum protulit gravissimum: Ssufismus neque praescriptio est neque doctrina sed connatum quid, etenim si praescriptio esset industria parari, si doctrina discendo adscisci posset. Verum connatum quid est secundum effatum Curani: Creamini cum indole Dei. Ex quo sequitur neminem posse neque industriae neque doctrinae opera cum Dei indole prodire.“ — v. Dschami in Beharist. cod. ms. Raudat I: „Hussein Nuri dicebat: Si Deus se ipse tibi velat, nullus index nec indicium ullum te ad eum perducet (quibus verbis Dei in homine patefactio hactenus testatur ut hominis vera essentia Deus sit). — v. Tesk. ol Aul. fol. 203, vers. „Abu. Rujaim (Ssufius magno nomine, mortuus est a. 303 H. teste Casw. cod. ms. pag.

186) dixit: „Tauhid exstirpatio est humanae naturae et indiciorum divinorum patefactio.“ — v. praeterea Chilcanum et Caswinum de Schublio, de quo multa narrant memorabilia, quibus digerendis ad conferendam sinceram pietatem cum infucata, germanum mysticismum cum spurio permulti eique egregii fructus redundarent. Nos, alia in aliud tempus remittentes, hic duos laudamus e Chilcano amatorios Schublii versus: „O tu Domine clementissime amor tui inter praecordia mea fixus est. Tu qui a palpebris meis somnum depellis solus nosti, quod mihi accidit.“ —

Hic etiam locus esset de Helladschio ben Mansuro dicere Ssufio fama et fatis inclytissimo, qui natura homini divina assignanda non sibi satis fecisse visus adeo usque proterviae progrederetur ut non modo sese palam Deum summum et excelsum perhiberet, sed incredibili audacia pantheismi velamen coram populo removeret, in rogi etiam flammis alta voce in haec verba prorumpens:

حسب الواحد افراد الواحد *Numeri Unius* (Dei) *sunt membra Unius!* (v. Tesk. ol Aul. cod. ms. fol. 239 recto. Isfrajini cod. ms. arab. pag. 120). [1]) — Enimvero quandoquidem in animo habemus in vita hujus fanatici, (de quo licet parce jam aliquantum disputatum est apud Abulf. ed. Reiske. T. II. p. 288. Almakinum in hist. p. 188, Abulfarag. in hist. dyn., Herbelotum art. Helladge, de Sacyum in conspectu Geogr. Ibn Haucali a cl. Ousely translatae et alios,) seorsum edenda studium nostrum collocare, a fusiori expositione hic abstinemus.

Quae autem hactenus de sententiis, a Ssufiis saeculi tertii receptis cognovimus, jam

---

1) ibid. Isfrajini tradit his verbis discipulos Manssuri ad doctorem suum scribere solitos: „*O ens, entium, summarumque voluptatum culmen!*" *Testamur te diversas assumere formas, nunc vero assumsisse speciem Manssuri, opitulare nobis, abs te petimus auxilium!* *etc. . . .*" —

satis largam dubitandi materiem suppeditant, utrum nova quaedam elementa, aliunde fortassis arcessita, Ssaidiano simpliciori Ssufismo accesserint, an e contrario ex ipsius Muhammedanismi principiis recentiora etiam dogmata, merum pantheismum redolentia, illustrari et derivari possint. Ego vero, qui cum ex re ipsa tum e multarum gentium historia intelligam, caetera Ssufiorum decreta, id est placitum de divinitate hominis, de emanatione mundi, de discrimine boni et mali tollendo, atque adeo de spernendis legibus civilibus (nam haec omnia, ut disputatio nostra evincet, in recentiori Ssufismo reperiuntur), ex uno dogmate pendere conjunctionis vel unionis cum Deo mysticae, nihil dubito, ubi hujus modo in prioribus saeculis vestigia detexerimus, quin intra Muhammedicae religionis fines cum veterum Ssufiorum doctrina tum recentiorum coercenda sit.

Jam nolumus dissimulare, perspicuum et disertum dogmatis illius testimonium e primo et secundo H. saeculo nullum posse af-

ferri (nisi forte in rem nostram trahamus quod Bustamius apud Casw. cod. ms. p. 190. nominatim auctorem decretorum suorum indicat Hedrawijum qui vitam reliquit anno ducentesimo quarto) at quid inde? Quasi vero manifestum non esset ex eis, quae in superiori loco laudavimus dogma unionis, si non nomine re profecto, cum Rabiae tum reliquis aetatis illius mysticis probe tritum atque exploratum fuisse. Quid quod ipse Muhammedes decreti hujus auctor sistendus est. Quis non legerit dictum Muhammedis identidem a grege Muhammedanorum celebratum: „Momenta habeo (sc. familiaritatis cum Deo) ubi nec Cherubinus me capit nec propheta.“ [1]) Hic autem Muhammedis status

---

1) In Metsn. cod. ms. T. I p. 250 arguit Dschelaleddin errorem eorum, qui pravae ambitionis rerum Arabiae capessendarum prophetam insimulent: „Quem coelestes thesauri tam parum delectabant, quem exclamasse certum habemus: Momenta habeo etc., eum Mecca in

in aequo ponitur cum unione mystica Ssufiorum ac de eo agitur in versione turcica libelli تباصي الاساصي cod. ms. p. 32. voce وصال i. e. conjunctio mystica, quam sic ibi legimus explicatam: „Unio est cum Deo impedimento nullo interrupta وصال ; جمعيتن مع الله درلركه هيج اول ارايه صغمز“ — ac in sequenti pagina de vocabulo وصل, i. e. intima conjunctio, haec explanatio proponitur: „Exstinctio propriae existentiae in existentia Dei velut nix in mari et atomus in sole pessum datur.“ — Quibus e definitionibus satis superque apparet Muhammedem, Muhammedanis certe judicibus, admodum prope abfuisse a serioris aetatis circa unionem dogmate, quodsi vero denegetur Muhammedanis hac in quaestione fides, saltem id nobis dabitur notionem non plane

---

potestatem suam redigenda delectari potuisse existimaveris?“ —

obscuram de eo habuisse prophetam, siquidem dictum ejus specimen hujus rei praebet perspicuum. Sic, arbitror, omnis diluitur et circa serioris Ssufismi originem dubitatio, atque ita fundamentum quo tota nostra disputatio nititur, ex ipsius Muhammedanismi mysticismo Ssufiorum doctrinam cum prognatam tum illustrandam esse, firmiter et solide jactum videtur.

Caput tertium.

De mystica hominis cum Deo conjunctione atque unione.

Nihil, mea sententia, dubitandum est quin homo, antequam terrestris vitae legibus subjiceretur, arctissime cum creatore suo junctus, non modo longe pleniori numinis divini cognitione polleret sed animo etiam, cujus voluntas cum divinis legibus prorsus congrueret, divinis tantum rebus et coelestibus

inhiaret; haec autem naturae humanae divinitas, ut maxime se ipsum respiceret homo, qui aspernatus e divina se suspensum esse voluntate sibi ipse leges facere cuperet, ita celerrime fugisse caliginique humanae conditionis, ut nunc est, cessisse videtur. Ut porro firmissimum statuere licet hominem, quum insitam et quasi consignatam in animo ejus notionem videamus divini numinis vitaeque hac terrestri multo beatioris sempiternae, quanquam angustis conditionis nostrae terminis circumscriptum retinuisse tamen quaedam divinae progeniei praeclara vestigia. Quid enim? Num ni ita esset omnium gentium ingenia altissima flagrare videremus inexplebili similitudinis cum Deo instaurandae desiderio? — Verum enimvero non minus manifestum est, relicta genuina veritate plurimas gentes vanitatis erroribus deceptas semenque illud hominis divinum quasi Deum connatum atque insitum ratas, in Emanatismi [1])

---

1) Nec enim mesus Pantheismus nec genui-

quoddam genus moestum atque irreligiosum delapsas esse. Hinc paullatim opinio videtur nata, hominem nescio qua apathica animi quiete numini, a quo olim est egressus, denuo se posse jungere.

„Ex quarum gentium numero primi Indi recensendi sunt, qui ut antiquitate caeteras nationes antecedunt, ita erroribus quoque superstitionumque multitudine. Ex India

---

nus Emanatismus erat. Emanatismus doctrina illa antiqua vocanda est respectu ad placitum de origine mundi ex Deo; Pantheismus eatenus quoad malum tollit hominemque propemodum in aequo ponit Deo. De miscella hac priscorum philosophia scienter et acute disseruit *censor libri Majeriani*: De Bramanismo in Ephem. Gotting. — Audiendus etiam auctor libri: *Die Allgegenwart Gottes*, Gotha 1817 p. 501 sqq. in cujus tamen sententias neminem puto integrae mentis dicessurum. Scientissime sane limatoque judicio hanc rem tractavit *Fr. Schlegel* in: Die Weisheit der Indier p. 150 sqq., qui me sua in sententia prorsus habet consentientem.

Orientali transiit Quietismus in Occidentalem, v. Voyage du père Tachard [1]) Tom. III et Francis Buchanan on the religion of Burma in As. Res. Tom. VI pag. 136, et porro in insulam Seilan v. in As. Res. T. VII. pag. 32 dissertationem: The doctrines of Boodha from the books of the Singalees by Mahony atque ibid. p. 397: On the religion of the people of Ceylon by Joinville, namque perspicuum est utriusque Indicae religionis patronos et Brahmanos et Buddhaistas sua quosque excudisse atque emisisse mysticae et quietisticae vitae praecepta, imo vero non eadem vasta ampliaque mo-

---

1) Graviter discrepare videntur *Tachard* et *Buchanan*. Tachard p. 300 summum affirmat poenitentiae meritum Nierupan esse i. e. annihilationem. At Buchanan in l. l. p. 180 sic ait: „Niervan implies exemption from all the mise„ries incident to humanity but by no means an„nihilation.“ — Patet virum doctum opinionem Orientalem notionibus accommodasse nostris.

nachica instituta Brahmani moliti sunt, quae Buddhaistae. — Deinde ac quidem remotissimis saeculis radices egit apud Sinenses, ubi La-o-tse[1]) primus exstitit Quietismi doctor; postea autem Cong-fu-tsiana schola ad summum celebritatis culmen grassante, denuo eodem regressus est Quietismus nomine Fohianae [2]).

---

1) Mirificam historiae religionum sinensium lucem porrigit dissertatio immortalis Deguignes in Mem. de l'Acad. des Inscriptions T. XXXVIII. p. 271 sqq. Lao-tsi-anam disciplinam graphice describit sermo hermitae ibi relatus, qui Congfutsianis discipulis obloquitur vitam socialem probantibus. „Nae, inquit rusticus philosophus, vos sub obtentu vitae generis perditi emendandae ipsi pessum datis!" — Vixit Lao-tse multis a. Ch. saeculis, Fohi vero, Sinensibus tradentibus, a. 60 a. Ch.

2) Exemplum stupendum quantam ad stoliditatem possit humana mens decidere in Fohiana philosophia videmus, in qua deflectitur a quietistico Pantheismo ad Nihilismum. Constanter enim, ut Orientales solent, ad extremum usque limitem principia Quietismi prose-

disciplinae advectus ipsorum Sinensium desideriis v. Couplet, du Halde, Mém. de l'Acad. des Inscr. T. I, p. 163 sqq.

Ad postremum sensim sensimque in Asia quoque Occidentali maxime in minori Asia

---

cuti eo constantiae devenere, ut negativa numinis notio rerum universitatem et ipsum hominem absorberet atque cogitandi adeo et volendi actione sublata non remaneret denique quidquam praeter, ut eorum ipsorum verbis utar, *divinum venerabile Nihil.* Interea recte judicavit Boileau: Un sot trouve toujours un plus sot qui l'admire. Nam fuit etiam inter nostrates qui doceret: Gott ist das sich selbst setzen wollende Nichts. — Quid quod inter dogmata flagitiosa, quorum insimulati medio aevo Beghardi, itidem legitur: „docuerunt omnes creaturas esse unum purum Nihil.“ v. Moshemii doctissimi dissert. de Beghuinis et Beghardis, Lips. 1790 in § 16 criminationum. — Qui omnes, si Nihilismum relative sumunt sola e mysticismi ratione, paullo levius ferendi, sin minus, etiam acrius impugnandi. —

diffundi, atque inde latius dispergi coepit in Aegyptum, Graeciam aliasque Occidentalium plagas, ad quas procul dubio pervenit e Persia; siquidem Send-Avestam nullum edere quietisticorum dogmatum indicium nos nihil moratur, qui jam supra monuerimus haud omnibus Send-Avestae versionem partibus absolutam esse atque insuper videamus, alias superstitiones quibus saeculum a Christo nato primum et secundum abundabant, theurgiam, daemonologiam, placitum de duabis ἀρχαιν, via plane eadem ex Oriente in Occidentem migrasse. — Primus hic in conspectum nostrum venit Quietismi placita illustrans Philo Aegyptius (καταληψις νοητικη); sequitur Gnosticorum et Neo-Platonicorum chorus amplissimus in variis dogmatis hujus expositionibus probe sedulus, inter quos palmam tulere Plotinus (ἁπλωσις, ἑνωσις cf. Ennead. IV L. III et IV. c. VI. L. IX. c. 11. Porphyr in vita Plotini c. 23.); Porphyrius (ἀφορμαι προς τα νοητα ed. Holsten. 1630), Jamblichus (ἑνωσις δραστικη in l. de myst.

Aeg.), Proclus (cui πιστις summum Quietismi principium). A Neo-Platonicis fluxit decretum ad Christianos seque primum manifestat in scriptis Pseudo-Dionysii qui, quod ipse Pachymeres commentator, si quis alius, scrupulosus dissimulare non audet, (v. Dionysii Areop. opera ed. Cotelerii Parisiis 1644 in Prooemio p. IV: at enim Proclum Dionysii auxilio usum vult Pachymeres) similitudinem prodit cum Proclo et caeteris Neo-Platonicis statim primo adspectu observandam, atque Dionysianum mysticismum receptarunt omnes deinceps mystici Catholicae ecclesiae. Neque vero ii sumus qui negemus apud alias gentes alia mysticismum ratione obortum esse, quae enim doctrina ex intima prodit ingenii humani natura, qui traditione tantum ubivis perlata et accepta existimetur? — Quocirca et Herbelotus in eo minus probandus, quod sectam putat hispanicam Alumbrados e seminibus Arabicis profectam, indubitate enim Molinos suam suo ex ingenio doctrinam depromsit. Id quod non minus valet de mo-

nachis

nachis montis Atho Omphalopsychitis (elucet enim e loco in Allatii opere de eccles. orient. atque occident. perp. consensione lib. II c. 17 pag. 829 v. Schröckh. Hist. Eccles. Tom. XXXIV), de Beghuinis et Beghardis, de Quakeris aliisque multis.

Jam quum quietismi placita, a tot gentibus vel auditione accepta vel in vegetioribus animis sponte nata, Ssufismi, pro mysticis ejus principiis, fundamentum facta sint, tanti est, ut quamnam apud ipsos peculiarem formam induerint accuratius examinemus.

Ac statim ab initio se quaestio nobis offert an Indorum more, Omphalopsychitarum aliorumque, ritibus externis sanctisque caeremoniis unionem divinam acceleratum iri censeant. — Omnino cônstat inque vulgus notum est pro eo, quantum quisque copiae, scientiae et dulcedinis particeps fieri disideret divinae, varia esse eaque molestissima sedandi atque comprimendi animi a magistris Indicis praecepta posita, quarum observantiarum summa,

quam vocant مشغولي [1]) (occupatio) Maschguli, consistit in eo ut omnes, quantum fieri potest, corporis humani aperturas, per quas scilicet res externae aditum ad mentem invenire queant, sic occludas ut animo vacanti

---

1) Consule de vocabulo *Maschghul* Upnekhat T. I p. 4. In Ssuficis carminibus usurpatur vox illa interdum significatione: *meditans* v. g. in Dschâmii Beharistân, ubi has Dschami poetae persici Chialii versus depromsit:

اي تير غمت را دل عشاق نشانه
خلقي بتو مشغول وتو غايب ز ميانه
گه معتكف ديرم وگاه ساكن مسجد
يعني ترا ميطلبم خانه بخانه

„O Tu, qui tela âmatoriae acerbitatis intentas scopo pectorum amasiorum, mortales omnes tecum occupati (مشغول), at tu ab omnium conspectu amotus. Mox in coenobio Christiano venerabundus commoror, mox in Meschida Muhammedica; Te nempe Te ubique quaerito.“ —

ab omni cogitationum perturbatione tranquillitas adsit et securitas, quae afferat scientiam divinam, tum etiam lumen numinis. cf. Oupnekhat ed. Anquetil T. I p. 249—262. T. II p. 279 et 307, maxime vero Ayeen Akbari ed. Gladwin Lond. 1806 p. 118 sqq. ubi ritus Maschghuli consignati sunt singulatim.

Similes praescriptiones cum Indis communes sunt Sinensibus scholae Fohianae, in quorum codice religionis primario Su-che-ulh-hang-king, locus exstat quem Deguignes hujusmodi in Gallicam versum nobis exhibuit: „Ainsi il faut abandonner son père, sa mère, ses parens, son bien, ses richesses et toutes les commodités de la vie, étouffer toutes ses passions jusqu'au moindre désir afin de parvenir à un état d'anéantissement total de soi même. Il faut être dans cet état aussi immobile que la montagne Siumi." — v. Deguignes Mem. de l'Acad. des Inscr. Tom. L, et ejusdem: Recherches sur les philosophes appellés Samaniens [1]) in T. XXXVI p. 770

[1]) Docente historico Sinensi Ven-hien-

atque inprimis p. 794 sqq. — Neque abhorrerit a ritibus Indicis regulae, quas tuebantur monachi Palamitici, qui, ubi Allatio fides adjungatur in libr. supra laud. l. II c. 17, adsidebant obstructis aperturis corporis, fixisque in umbilicum oculis praestolantes radiis Dei animo tranquillo sese manifesturi, haud secus ac famosi illi Indorum Dschogii.

Ejusmodi autem praeceptiones Ssufiis placuisse, quorum omnino animus inclinabat in solitariam contemplationem quorumque

tum-kao vox indica Schamman notat: omnes animi affectus opprimere inque Nihili statum sese redigere. — Consentanea proinde vox antiquior Scham-man recentiori: Dschoghi vel Saniasi. v. Bagvat-Geeta by Wilkins Lond. 1786. 4. p. 143.

Minus probandam vocabuli Sam-man notionem cel. Abel-Rémusat affert e libro Jukia-sse-ti-lun (Discours sur la patrie des Joghi) in: Recherches sur les langues Tartares T. I Paris 1820. p. 133.

doctor illustrissimus Sseri Ssakti jam exeunte saeculo secundo hanc quietisticam sententiam protulit: „Nisi Deus excelsus mortalium ingenia adeo occlusisset, ut de Curani sensu admodum nihil capere valeant, cessaret actutum agricola a serendo, mercator a mercatura cessaretque commercium et tumultus in plateis," 1) — vel conjectura consequi licet, vero etiam testimoniis firmatur, nam de Ewhadio poeta hunc in medium attulit Hammerus in Gesch. d. pers. Dichtk. p. 200 versum quietisticum:

Wer ohne Herz auf einen Flecken hinschaut,
Wird einen Blick in Gottes Schöpfung thun.

Attamen rectissime est a doct. Malcolmio animadversum in Hist. of Persia II p. 397: „The Persian Soofees, though they have borrowed much of their belief and many of their usages from India, have not adopted as a means of attaining beatitude those dread-

1) v. Chilcani vitae cod. ms. T. I. vita Sseri-Ssakti.

full austerities which are common among the visionary devotees of India.“ — Tantum enim abest ut de mysteriosa observantiarum vi inter eos convenerit, ut Dschelaleddin, auctoritas satis gravis, disertissime obloquatur statuens Maschghuli nihil tanti esse ad contemplationem perficiendam. Ipsum audiamus in Metsn. cod. ms. T. I p. 93 sic argumentatum: „Cui in pectoris recessu porta aperitur, usquequaque Solem videt, quid? caeteras res universas Deus divino suo splendore superat et nitet velut luna inter stellas minores. Utinam quidem ponas, per me enim licet, digitorum tuorum apices duos in oculos et veritatem profitere: Nihilne amplius de mundo cernis? Sic vivam, etiamsi mundus abs te non cernatur, idcirco minime sublatus est, neque cupiditatem vilem vitii fontem habeas, sed digitum. Quocirca hunc tandem retrahas ac subinde adspice quidquid placet! Rogabat Noam populus suus undenam esset poena divina ventura; qua re comperta vestibus se tegebant. O populi Noae! Ob-

volvisti caput tuum vestibus, nae tu non cernis quidquam, licet oculis instructus. Oculus homo est, reliqua membra pellis sunt; verumtamen hactenus tantum quód amicum (Deum) cernit, oculus vere oculus est." — Haec argumentatio etsi paullo obscurior, scopus tamen facilis intellectu.

Sequitur ut de loco dicatur quo sint monasticae vitae regulae a Ssufiis habitae, solitudo, preces certis horis constitutae, jejunium. [1]) Has quanquam minime spreverunt versibusque elegantissimis commendarunt Dschami et alii, non tamen ita multi fecere, utpote qui ad summum evecti contemplationis gradum, externas operationes, ubi modo animus divinae meditationi vacaret, flocci habendas rebantur, qua in funesta

1) cf. quae de jejunio quadragenario habet d'Ohsson tabl. de l'Or. in fol. T. II p. 307. Per hos dies Derwischii nonnulli crines suos laqueo alligabant dependenti ab unco tabulati, v. tab. pict. ap. d'Ohss.

opinione adstipulatores habuerunt Carpocrationos, Beghardos, Messalianos et si quae praeterea sunt fanaticorum perditorum sectae.

Patet Ssufiorum haec circa externas operationes impia sententia e Dschelal. Mets. cod. ms. T. II p. 222: „Quum forte monachus quidam gurrulitatis, somnolentiae et voracitatis apud Seniorem Monasterii accusaretur isque proverbii illius triti commonuisset eum: Medium tenuère beati! ita fertur reposuisse:

گفت راه اوسط گرچه حکمت است
لیک اوسط نیز هم با نسبت است

„„Quamvis mediam tenere viam sapienter et praeclare factum sit, ratione tamen est vel media via utendum. — (p. 225.) Equidem imperator meditationis sum, haud ei subditus.“ “ — Ergo, addit Dschelaleddin, cui offa lumen fit divinum, edat quidquid lubet; concessum ei est.“ —

Proinde si quae dissolutioris vitae quin etiam Veneris promiscuae criminationes ad-

versus Derwischios [1]) et Ssufios factae sunt, iis certe repellendis equidem haud parem me crederem.

Quod vero Ssufii principio eum jubent, qui frui appulsu divino exoptat, redit ad ἁπλωσιν Plotinianam, ad meram animi simplicitatem, quam hujuscemodi praecipit Asisius in Gulschen rās cod. ms. p. 40: „Exuere eum oportet sorditiem et squalorem forte ei adhaerentem, dubitationes pravas sponte subnascentes, atque instinctum e bruta nostra natura prodeuntem; his remotis impedimentis id quod summum est perficias, cunctas universim cogitationes abjice atque expelle, tum mihi crede dignaberis appulsu divino مناجات (diverbium, colloquium de arcanis rebus), et omne tolletur cognitum inter et cognoscentem discrimen.“ — Hoc idem

1) v. quae Hammerus prodit in libro suo: *Ueber die Assassinen. Stuttgard* 1818. p. 232 de suspicione, in quam theosophicae venerunt Muhammedanorum quoque sectae.

lepida fabula illustratur a Dschelaleddino in T. I. cod. ms. p. 219: „Heus tu, qui scientiae tuae onere enectus, quid nomine contentus es? Ecquando e litteris vocabuli *rosa* (persice: *Gül*) i. e. ex *G* et *L* rosas decerpsisti? Memento sodes lunam in coelo esse nec vero in puteo! Quid plura? Quo melius noscas essentiam tuam puram, speculum fias purum necesse est, abjectis qualitalibus; dixit enim propheta: *Ex populo meo est, qui fit essentia mea et studium meum* همتى, *sic enim fiet, ut animus ejus me videat illo, quo ego eum lumine, id est nequaquam per traditiones ac sententias sed in aquatione potionis vitae.* Idcirco legesis mysteriosum illud dictum: *Curdus fui atque Arabs factus sum.* Hoc autem ubi nihilo magis te reddiderit sapientem, ecce tibi fabula egregia: Sinensibus cum Graecis de arte pictoria olim certantibus, Sultanus quidam utrosque arcessitos in aedibus binis ad eum finem ita exstructis ut altera alteri directo opposita es-

set, artis suae documentum exhibere jussit. Actutum pictores utrique gnaviter se ad opus accingere, Sinenses ingentem colorum copiam quotidie a Rege petere et accipere, Graeci ne hilum quidem; alta taciturnitate operari utrique, donec Sinenses tubarum cymbalorumque clangore opus ad finem esse perductum annunciant. Subinde advolat rex cum amicis, obstupet vix mentis compos ob mirabilem Sinensis picturae nitorem, miramque colorum elegantiam. Interea autem retegunt et Graeci qui adhuc non coloribus domum exornare sed abstergere potius colores omnes laboraverant nitideque polire muri superficiem, velum suis aedibus superinjectum; tum, mirabile dictu, universa colorum Sinensium varietas pulchrius atque elegantius repercussa conspiciebatur a superficie domus Graecae radiis meridiei splendide collustratae. — Quibus Graecis, qui in aequo ponantur Ssufii quam digni sunt quippe qui absque repetitione تكرار absque libris et arte id solum curent, ut pectus puritate nitescat, purgatum a pravis

cupiditatibus. Cor enim tali puritate imagines recipit infinitas. Formas sine forma et immensas ex mundo mysterioso splendentes repraesentabat speculum cordis in pectore Mosis, quas neve coelum neve oceanus complexus esset, animae vero speculum comprehendebat, quando maria atriaque coeli finita sunt circumscriptaque terminis, animus contra humanus infinitus. — Quid multis? Vel cor Deus est vel Deus cor, proinde silentium imponitur rationi ratiocinanti." —

Hujus simplicitatis gaudio elatus exsultat Attār in Dschauher odsāt cod. ms. p. 15: „O quam bene mihi est, qui simplex videar, solus in amore meo latens!" — et ibid. p. 129: „Deus factus est infinitus et divine spirat, quia simplex videtur." — et ibid. p. 122 eandem de se jactat simplicitatem universa rerum natura. — Non diversa est ratio qua mentis in Upnekhato commendatur et ostentatur simplicitas cf. Tom. I p. 241 sqq. T. II p. 343. —

In tam aequabili autem et quieto animi

statu, ubi nulla cogitationum aut mutatio aut successio modulum praebeat tempori emetiendo, imo infinitum numen divinum, in quod temporis notiones nullae valent, in mentem quasi intret, temporis rationem hominem habere posse negant; eam igitur ob causam in aeternitatem dicunt unionis momentum cadere atque exemptum esse ex qualibuscunque temporis definitionibus. Sic in Metsn. cod. ms. T. I. in praef. p. 2. „In moerore nostro dies (venia sit verbo) intemporales بيگاه fiunt, dies aeque ac perturbationes meae infiniti sunt.“ — et in Mets. cod. ms. T. I p. 222. „Quaerebat aliquando mane propheta ex Ssaido: Qui experrectus es mi pure? Quibus ille: ut fidelis. Tum propheta: An signum habes vere in te fidei hortum effloruisse? At Ssaid: Dies et nox me praeterlapsa est instar mucronis praeterlabentis scutum, namque una comprehensione complexus sum perpetuitatem [1]) tem-

1) ازل aeternitas principio carens et ابد perpetuitas finis expers.

poris mundo priorem et posteriorem mundo. In ejusmodi statu sive centum annos numeraveris sive horam unam, perinde est." — et Mets. cod. ms. T. II. p. 110. „Quae Dei verba posteaquem in pectore suo Mose percepit, cursu pernici ab aeternitate ante creationem mundi ad aeternitatem mundum eversum excepturam devolavit." —

Voluptatem ex unione captam, turpem adsciscentes figuram, assimilaverunt cum coitu maris et feminae, praeeuntibus Indis quorum in Upnekhato T. I. p. 241 conjunctio mystica cum Deo comparatur cum concubitu mulieris praedilectae, inter quem nulla in mariti animo firma cogitatio permaneat aut imaginationis species, sed universae sensuum animique vires immersae sint in suavissimam jucunditatis commotionem. Hinc factum est ut Dschelaleddinus in Mets. cod. ms. T. I p. 24 doctrinam suam عُرس et سور (nuptias) appellet, inque alio loco T. I pag. 94 prodat „Ssufios primi gradus sponsam sine

velo adspicere, eosque secundi gradus quasi toris genialibus discumbere". — et rursus T. I. p. 127 „Muhammedem in unionis nocte ad dextram admissum esse sponsae osculandam" — Insolentior tamen videtur metaphora fuisse, nam ibid. pag. 129 submisse Dschelaleddinus deprecatur „*ne ei vitio vertant vocem* عروس *(sponsam) in Deum ab eo translatum esse.*" —

An Ssufii ut fanatici veteris aetatis atque recentioris, forsitan sub luminosa quadam specie vere Deum videre sibi visi sint, affirmare non habeo, Indi certe oculum interiorem divina quadam forma penetrali feriri posse arbitrabantur v. locum illustrem in Upnekh. T. II. p. 105. „Et signum τȣ apparentem esse τὸν Brahm super cor, hoc est, ut modo per imaginationem similis margaritae obscurus ingreditur, modo obscurus sicut fumus, modo similis lumini solis, modo similis lumini ignis, modo lumen simile vento spiranti aut vermi nocte fulgenti, aut corruscationi fulguris aut puritia et albor similis

crystallo etc." — quando ipse Deus lumen ab eis habebatur v. Upnekh. T. I. pag. 386. „Deus lumen est, luminosior omnibus luminibus est" et T. II. p. 370 „forma lucis ego sum" — nec cogitando unquam, ut persuasi erant, comprehendi potuit qui ipse esset forma cogitationis v. Upnekh. T. II. p. 222 et locum palmarium T. II. p. 239 [1]) „*Magister*: Si tu scivisti Brahmam illum te ipsum esse, veritas est, num vero intelligis quid sit: Brahm est? — *Discipulus*: Non intelligo. *Senex*: Si non intelligis, quomodo dixisti: Ego non intelligo? — Nam ex ipso eo quod dicis, intelligitur, te non modo te ipsum intellexisse, sed etiam phrasin illam: Ego non intelligo. Proinde duas res intelligis, unam: te ipsum; alteram: te ipsum non intelligere. Dein-

1) Translationis Anquetilianae aliquos hic illic a me expunctos esse soloecismos nemo, spero, vitio mihi dabit, factum enim est, ut sensus verborum clarescat.

Deinde utraque intellectio firma fit in te, et intellectio forma τῦ Brahm est. Proinde τὸν Brahm intelligis, cum dicis: Eum non intelligo." — Sed quod ad Ssufios pertinet duas tantum narratiunculas afferre possum huc respicientes, alteram jam supra proposuimus e Tesk, ol Aul., fol. 30 vers.: „Quum e sancta illa muliere Rabia percunctati essent: Num tu dum eum colis vides Eum? Certo, respondit, non enim colerem Eum, nisi viderem." —

Alteram reperimus in Tesk. ol Aul. cod. ms. fol. 6. vers.: „Venit quidam aliquando ad Dschaffarum Ssadikum eique dixit: Monstra mihi Dominum! — Ei Dschaffarus: Numquid ignoras divinum ad Mosen oraculum: Nunquam me videbis? — Ille vero: Scio id quidem bene, sed nunc religio nostra Muhammedis est; nec desunt nostra aetate qui clamitent: Cor meum vidit Deum, aut: Dominum non colo, quem non videam aut alia hujus generis. — Haec quum ex eo audivisset Dschaffarus jubet virum importunum

in Tigridem dejici. Quo facto ille dum primum undis in superficie circumagitur alta voce auxilum implorat. Ssadiki, intumescentibus vero fluctibus atque in summum vitae discrimen adductus paeneque moribundus incipit preces fundere ad Deum. Nunc Dschaffarus eum extrahit e fluvio eumque, postquam ad se rediit viresque resumsit, interrogat: Age jam bone, vidistine nunc Deum? Tum ille: Dum te, o Ssadik, invocabam, in velo eram, at ex quo Deum implorabam conspicatus sum quod desideravi per fenestram in pectore meo reclusam." — Congruit cum hac historiuncula aliud divinum oraculum Rabiae editum, quod itidem in superiori loco laudavimus: „Ecquando Rabia! audivisti, quum Moses Dei adspectum expetivisset atque aliquae tantum divini splendoris particulae se monti manifestassent, hunc vehementer conquassatum et perruptum esse, Tu igitur nomine meo contenta sis!" — Ex his omnibus effici videtur eo sane Ssufios ab Indis discrepasse ut de nulla numinis visione, quam sen-

sus percipiant, cogitarent; attamen validis testimoniis destituti satius habemus, hac de re cohibere judicium nostrum qualecunque.

Quibus de ratione unionis mysticae praemunitis, venio ad quaestionem maxime gravem, quonam Ssufii gradu censuerint mortalem numini junctum iri. At quum, quoad in unione mystica tanquam summo existentiae fastigio enucleatur, eatenus definiant dignitatem hominis, maxima quaestionis pars recidere videtur ad illud caput quod de homine agit ejusque dignitate, hujus vero loci id solum esse ut quaenam sit placiti cujus naturam sciscitamur, originis ratio.

Nulla autem fere est religio, quin plures animi motus et affectus superiori vindicet cuidam mortalium gubernatori, pro libitu vim suam et arbitrium etiam in animis exercenti humanis, qua in re prorsus conspirantem videmus Ethnicismum, Judaismum, Christianismum. Quanta vero illa sit Dei potestas cum in universum tum apud Chri-

stianos non desitum est requiri. Philosophus nullam Deo partem assignat, Calvini grex praeeunte Augustino nullam homini, Lutherani inconstanter quidem sed sapienter mediam viam ingressi sunt. Jamque argumentum quod Christianorum theologos eo tantum respectu exercuit ut, quantum efficientiae divinae in vita emendanda tribuendum sit, dignosceretur, ad multo spinosiores quaestiones detortum est a mysticis et fanaticis qui continuo ad quodnam reliquae actiones principium referendae sint, utrum aliquae earum an omnes ad Deum revocandae, investigarent litemque ad extremum ita dirimerent, ut cunctarum hominis actionum unicus fons sisteretur Deus. Hinc porro colligebant naturam in suo intimo, ut ita dicam, nucleo et fonte divinam esse, qui animum itaque suum a rebus concretis, in essentiam suam, quam simplicissimam in pectoris recessu haberet, revocaverit, eum quasi propius Numini admotum vocem ejus percipere. Qui igitur error Christianos complures a solidis pro-

gressos principiis ad Pantheismum, Mysticismum et placitum de unione cum Deo declinare fecit, idem et ipsos Ssufios principiis nisos eisdem. Quaestio enim de libero arbitrio, non minus Muhammedanorum theologos ac Christianorum ventilabat, quoniam in illorum perinde atque in Christianorum fide praecipuum locum occupabat dogma de perpetua quadam fusione universa, qua copia et ἐνεργεια divina deorsum e coelis in mortalium mentes defunderetur. v. Ssubhat ol ebrār cod. ms. p. 47 „Perpetuo copia فيض Dei e mundo mysterioso عالم غيب in animos defluit." — et Metsn. cod. ms. Tom. I p. 135 „Fluxit in Omari pectus vox divina ندا quae radix omnium est vocum omnisque soni, aliique soni quicunque ab hoc sono repercussi sunt, quem Turca, Persa et Arabs intelligit, quid autem Turca et Arabs? imo vero etiam lignum et lapis, nam Deo vociferante in quolibet temporis momento: Alist (الست i. e. nonne creatura mea es?)? res-

pondet materies: Beli (بلى i. e. utique) [1]" — Quae vocabula فيض et ندا copia et vox dum generaliores innuunt divinos impulsus, morales designantur voce جذبه [2]) i. e. at-

---

1) Perspicuum est respicere hoc ad pactum Dei primaevum cum homine, quo hic divinam se profiteretur creaturam. Sensus itaque hic est: Omnia obsequuntur voluntati imperioque divino promte atque libenter, seque ad divina jussa componunt.

2) Vox solennis, qua attractionem notant, est: حال i. e. status vel etiam tempus praesens. Adhuc a plurimis eruditissimisque Orientalium litterarum doctoribus eam perperam redditam esse video; apprime bene tamen vernaculo sermone verti potest: Verzückung. Dschuneid princeps Ssufiorum in Teskirat ol Aulia cod. ms. p. 186 v. vocabulum sic illustrat: „Hhāl sive ecstasis est nescio quid descendens in pectus, ibidem tamen neutiquam permanens." — Hoc etiam pacto factum est ut ecstasis appellationem adsisceret: *tempus praesens* sive *momen-*

tractio, quae obviam est in Metsn. Tom. II. p. 163 T. III p. 14 et passim. Eoque inprimis pertinet locus Nessephitae cod. ms. p. 19. „Primum Deus attractionibus attrahit, ut servus illic unde attrahatur animum dirigat atque amore incendatur, tum sequitur gradus secundus nimirum *itineris*, qui dispescitur in iter *ad* Deum et iter *in* Deo, iter autem ad ultimum excipit adscensio ad coelum.“ —

---

tum, ni forte malueris, quod mihi quidem minus probatur, حال formatum esse ad formam participii praesentis activi a verbo حلّ *descendere*, nam et Dschuneidus in explicatione allata persicum vocabulum فرو آمدن adhibet consonans arabico حلّ, et vulgo verbum حلّ usurpant ad ecstases notandas, velut in Casw. Geogr. cod. ms. p. 261 in versibus Schublii: انت بما حلّ لي عليم i. e. „Tu Deus nosti quod in me demissum est.“ —

Prophetae vero non solum attractionibus divinis ad contemplationem vitaeque sanctimoniam excitari censebantur, sed alios praeterea divinos motus concipere divinasque voces et oracula haurire, v. Metsnew. T. I p. 123 „Prophetae voces in animis accipiunt a nullo alio auditas, quemadmodum Periorum (germanice: Fee, anglice: Fairy) voces, quae licet clare strepant, nostris tamen auribus non hauriuntur.“ —

Quibus reputatis abunde liquet quis genuinus sit *fons placiti unionis*, ad eundemque fontem respicientes, ubi nimirum Protei depingendi multiformis et mutabilis periculum est faciendum, sic fere unionem mysticam definiamus: Est firma animi in Deum intentio, tranquille hauriendo copiam inde profluentem in mentes mortalium, ita ut qui alias parce et singulis tantum momentis ad nos pertinent motus divini, tunc simul et quasi uno impetu ad hominem redundent eumque ad numen rapiant. — Hinc sequitur neque ullo modo in occulto esse potest, unio-

nis dogma, siquidem nulla religio vim negat divinam in animis humanis operantem, in cujusvis latere religionis seminibus. Quod ni ita esset, qui eadem fere ratione praeceptum placitum idem apud alios inveniremus Muhammedanos? Admodum nihil enim differunt quae circa unionem mysticam Ghasalius habet, v. cod. ms. pag. 45 in capite de precibus: Preces tria habent involucra; quorum primum preces sunt sola lingua pronunciatae, alterum si aegre modo firmissimaque intentione eo animus pervenit, ut a pravis subnascentibus cogitationibus non turbatus ad divinas res advertere queat, tertium involucrum si quis aegre modo *a*vertere potest animum a divinis rebus considerandis. At vero medulla precum conspicitur, ubi, qui precando invocatur, animo precantis potitur, ejusque animus absorbetur in Deo invocato, cessantibus precibus nullaque remanente ad semet ipsum attentione, idque adeo ut quaecunque cogitatio de precibus ipsis, velum quasi impediens videatur. Hic status a my-

steriorum doctoribus solet *absorptio* appellari, quandoquidem homo usque adeo absorbetur, ut nihil sentiat de membris suis externis, nihil quod extra eum evenit, nihil quod animo suo accidit, imo ab his rebus qualibuscunque quasi absens sit, primum proficiscens *ad* Dominum suum; deinde *in* Domino suo. Quodsi vero ei incidit cogitatio sese in Universalitate absorptum esse, macula est; nam absorptionis nuncupatione ea tantum digna est absorptio, quae absorptionis inscia. Quae mea verba, etsi scio sermunculum insipidum vocatum iri a theologis jejunis, minime tamen vacua sunt a notione. Quid? Similes est conditio, de qua dico, conditioni alia quaelibet amantis, sive opes, sive honores, sive delicias atque sicut illos amore, ita alios ira videmus tantopere abreptos ut loquentem non auscultent, praetereuntem non cernant, vel adeo, absorpti in excandescentiae affectu, ne absorptionem quidem suam animadvertant. Nam quantum ad absorptionem tuam animum advertis, tan-

tum avertaris necesse est ab illo, cujus causa absorberis." — Eodem tendunt atque etiam clarius placiti nostri gradus illustrant illa quae Ghasalius tradit ibid.: p. 48 „Jamque bene, quid sit absorptio, edoctus, expulsis dubitationibus tuis noli id, quod comprehendere non vales, mendacii arguere. Deus excelsus in Corano ait: Arguunt mendacii, quod non comprehendunt. Explicata itaque absorptionis notione sciendum est initium viae iter esse *ad* Deum, deinde sequi iter *in* Deo, in quo ipso locum habet absorptio. Haec in principio praetervolat instar fulguris velociter oculum perstringentis; succedente autem tempore per consuetudinem confirmata introducit animum in celsiorem mundum, ubi, prodeunte essentia *essentiali* purissima, imbuitur mens humana typo mundi spiritualis, dum majestas Numinis sese evolvit atque manifestat. Jam quod primum apparet materies angelorum est, spirituum, prophetarum ac sanctorum, aliquamdiu quidem sub formarum nescio quarum pulchrarum involucro a qui-

bus singulae quaedam veritates redundant, sensim sensimque vero, reclusa via, faciem suam retegere inchoat veritas divina. Poteritne autem quaeso, cui aditus patuit ad ejusmodi adspectum, ubi pertaesus labis rerum terrestrium redit in mundum inferiorem, eos satis demirari, qui mundo fallaciarum contenti ad nihil unquam sublimius evolare nituntur?" —

Desinet, ut opinor, haec qui testimonia dispexerit inque diligens examen vocaverit ultra in decreti unionis fontem inquirere? Quis est enim, quem fugerit necessitas illa probe arcta inter pietatem candidam germanamque et somnia fanaticorum? Quis est, cui non observata sit graduum illa successio quorum priores simplicem postulant ac meram religiositatem, posteriores in imaginationis fumum et vaporem evanescunt? — Quod nunc autem superest, dijudicare quatenus ex hominis natura utpote divina simulatque per se existente et quatenus e Numine vis illa defluat, qua mens humana instillatur,

occupatur, evehitur, hoc nescio an unquam mortalis possit, ego certe nequeo; nam quomodocunqua ea de re philosophis videbitur, Christi sectatores nunquam potiori loco mentem hominis habebunt, quam vasis atque instrumenti dona divina recipientis. Ssufii vero, et hoc intente ponderandum est, semper doctrinae suae fundamentum professi sunt sententiam: Nosce te ipsum! atque eo certe eorum se mysticorum numero aggregaverunt ex quorum opinione mentis natura, quam simplicissimam atque augustissimam tenemus, recte sciteque enucleata atque evoluta per se praebet divinarum rerum et notionum notitiam. — Jam quaeret forsitan aliquis, quae vero sunt fallaciae istae, quibus decepti Ssufii se revera per unionem divinas accipere notitias persuadere sibi poterant? — Respondeo cum Cicerone, idem nobis accidere diligenter atque assidue de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui quum acriter oculis deficientem solem intuerentur, adspectum omnino amitterent: sic mentis acies

se ipsa intuens nonnunquam hebescit. Hoc ipsum autem *hebescere* a mysticis *absorptionis momentum* vocatur, pro eo quod tunc non minus ac in conscientia Dei cogitationes omnes cessent suique ipsius conscientia. Qua in animi hebetudine et caligine, quid enim aliud dicam? quam facile hic se divinae vitae participem factum, ille se mente contrectasse numen supremum opinari potuerit, nemo non intelligit, praesertim quum apud Sinenses saltem, Indos et Derwischos rigida jejunia aliaeque observantiae vim animi pariter frangant et debilitent, atque corporis vigorem. 1)

---

1) Haec, dum in eo eramus, ut prelo committeremus, ecce offertur dudum exspectatus, quem nuper in India edidit Parsorum pontifex, libellus: Dessatir. Continet, ut in vulgus notum, memorabile hoc opusculum quindecim priscorum Persiae prophetarum, quorum decimus tertius Soroastres, institutiones a Deo profectas. Nobis e rationibus, quas hic referre ni-

Jam quum ex unionis decreto consequens sit et illud de divina hominis dignitate,

mis longum esset, origo horum scriptorum in tempora imperatoris Justiniani incidere videtur, materies autem doctrinae antiquissimi esse aevi. Jam liquidum fit nihil nobis sententiae nostrae de mysticismo veterum Persarum poenitendum esse, nam satis superque ea monumento illo pretioso commendatur et defenditur, quare in margine saltem indidem adjiciemus aliqua ad nostrum argumentum idonea, quo Persarum quoque de quietismo notitia illuminetur: v. Dessatir. Bombay 1818 T. I. p. ۲۳ §. ۸۷ in dictis Mahabadi: „Si quis esuriens, absque somno animum in Deum vertit, secretus e corpore elementari videt coelum, astra, angelos, Deum et contemplatur! Tunc rursus redeundum in corpus elementare, at ubi dissolvitur id corpus et disrumpitur, denuo revertemini ad illum gradum ibi mansuri in perpetuum." — Secundum § ۱۲۸ sqq.: „Sectae sunt variae: 1) Hirtasporum qui corporibus excruciandis atque per ab-

de emanatione mundi, de malo tollendo etc. hoc ipsum primo loco a nobis positum est, eoque affatim considerato, ad id quod proximum est, de homine ejusque dignitate, transire licet.

---

stinentiam rigidissimam aspirant ad beatitatem 2) Sirdasporum, qui affectant salutem aeternam, nullis corporis cruciatibus, sed ratiocinando et philosophando." — v. porro institutionem Dschemschidi §. 0[illegible]: „Dixit Deus, si te interrogant, vidistine Mesdām i. e. Deum? responde: Deum non colerem, quin viderem." —

Ultro conferantur etiam quae de Quietismo Aegyptiorum Jamblichus habet, Porphyrius et e Porphyrio Chaeremon apud S. Hieron. adv. Jovinianum II. p. 343, v. Görres Mythengeschichte p. 343.

Caput

Caput quartum.

De Adamo, de homine deque divina hominis dignitate.

De Adamo, utrum primus hominum habendus, an hominum universitas in unum comprehensa, crebra est sententiarum varietas ac dissimilitudo tum apud Rabbinos, tum apud Christianorum aliquot doctores, aliis aliud ex enunciatis V. T. judicium facientibus. Ssufiis hoc dogma, tum quia aeque prolixe ac fabulose in Curano ejusque commentatoribus relatum erat, atque ideo rejectionem non minus defendebat quam postulabat, tum quia ad litteram intellectum parum habet verisimilitudinis, eo majorem difficultatem creavit, quo constantius ipsi a Curano declinantes Emanatismi vestigia sequebantur pantheistici. Maximam partem pie et religiose secundum Curanum de Adamo tradunt et exponunt, uti vero disputatio

nostra evincet, allegorica ab eis subjungitur Curanicis verbis interpretatio.

Primus prodeat Dschamius, testis locupletissimus, qui in Tohhf. ol ebr. in capite sec. totus versatur in historiae Adami expositione Curanica:

> „De creatione Adami ceu speculi essentiae creatoris et quasi exemplaris universorum Numinis nominum et qualitatum.

Non potuit Adami rosa propullulare, nisi demisso e puritatis nube (Deo) rore coelesti. Tunc enim temporis quum universitas rerum, quam aetate illa dixeris speculorum congeriem seu citius thesaurum amplissimum diversissimis quidem gemmis nummisque instructum, munitum autem talismatibus arcentibus, signo careret quo significaretur nominatum (Deus est nominatum; homines, res: nomina Dei), et quo quasi in theatro una comprehensione simul exhiberentur nomina singula Dei: tunc, inquam, mundi Dominus tale theatrum ipse exoptans, e mari aeterni-

tatis (i. e. e divino gremio)[1] margaritam elegit, cujus os aurorem condidit, luminum coelestium, in quam quidquid sub oculos cadit congregavit et quidquid latet complectebatur,[2] quae Mana et Ssuret (essentiam et apparitionem) tanquam maria duo aeternitatis et temporis in se comprehenderet, cu-

---

1) علم قدم et علم عدم. Desideratur haec vocabuli utriusque vis in lexicis; dabimus [illegible]mi in cap. quinto.

2) Concentum harum de Adamo Microcosmo traditionum cum fabulis Rabbinicis dilucide docuerunt alii v. Millii dissert. de Muhamm. ante Muh. — Maracci ad Curanum. adde: Lib. Cosri ed. Buxt. 1660 p. 49. — Eisenmenger in entd. Judenrh. T. II p. 17 Rabbinicis prodit e scriptoribus Adamum vitae Davidis 70 annos largitum esse; eadem fabula obvia est in Mirchondo cod. ms. in historia Henochi, in quem Persa narratiunculam transfert. Sic ad seriores quoque Muhammedanos manarunt quisquiliarum rabbinicarum sordes.

jus animus describitur enunciato Curanico علم الاسما (i. e. *didicit nomina omnium rerum;* id videlicet ejus scientiam prodit) cujus corpus enunciato: *Odor luti ejus.* Ejusdem umbra ad coeli fastigium pertinebat ita ut praeter فرقت رزن كان (i. e. ad litteram: nati in remotione, puta, in remotione a rebus concretis; hoc titulo veniunt supremi Cherubini rerum terrestrium incuriosi, v. Ness. cod. ms. caput de angelis) coelicolae universi eum venerarentur capite in pulverem demisso; quasi epulae dapesque liberalitatis in ore ejus conspicuae erant, ita ut omnium oculi in eum figerentur. At quum cuncti coelicolae adspectum in eum deverterent, ecce audiebatur terribilis reprehensionis vox: Adamus est superbus! Exsul maneat anima ejus é coelis, donec, reprehensionis divinae caligine in lucem immutata, ad resipiscentem Deus se converterit!" — In pristina illa eadem Adami claritate multus est etiam Dschelaleddinus v. g. in Mets. Tom. I

p. 167 „Ex pulvere creavit Deus Adamum, qui in duarum triumve ulnarum forma, quidquid fuit in tabulis secretis (decretorum Dei), inque spiritibus coelestibus, praeclare repraesentat, atque, ut Curani verbis utar: *nomina est divina edoctus*, quo clariora reddantur consilia Dei. — Tam singularis autem erat scientia ab eo percepta ut Angeli obstupefacti in ejus persona sanctificata praeter sanctuarium Numinis supremi alterum sibi videre viderentur sanctuarium.“ —

Nunc subinde de causa esset, ob quam e coelis emigrare cogeretur Adamus, agendum, verum quum Dschelaleddinus diserte declaret peccatum primum necessario in fatis fuisse, divinaeque sancitum voluntatis decreto, ad illud caput lectorem ablegemus oportet ubi explanabimus fati placitum et liberi arbitrii. Utut vero est, a Ssufiis omnibus, cum ab eis, qui arctius finibus Muhammedanismi se circumscribi paterentur, tum a liberioribus ingeniis, sedes nostras in infimis mundi partibus turpes, miseras atque deplo-

randas habitas esse constat. Illi enim partim in universum rationem habebant praecepti gravissimi toties a legislatore suo inculcati „hanc rerum naturam ludicrum esse vix momentum oculos perstringens" — partim Muhammedi in dogmate adstipulabantur de homine e beatioribus domiciliis in luem terrestrem aliquando depulso; hi autem non minus nauseabant ad conditionem hominis, ut nunc est, propterea praecipue quod omnium miseriarum fontem et radicem vitam existimabant nostram a Deo avulsam individuamque naturae cujusvis existentiam.

Sicuti Neo-Platonici fabulam Narcissi in aqua speciem suam inspicientis ita adornabant, ut eam ad typum hominis accommodarent propter vanitatem atque arrogantium in inferiorem orbem detrusi (v. Anonymi de incredibilibus in opuscull. mytholl. ed. Gale p. 88 apud Creutzerum; aliter repraesentatur idem scitum apud alios, animam videlicet inspexisse in speculum illud in quo

Dionysius individualitatem suam fuerat conspicatus v. Plotin. Ennead. L. 3, 12): sic invenimus apud Attarum fabulam lepidam eandemque ingeniosissimam de vulpe (v. Dschauher odsät cod. ms. p. 129 et 140), quae imaginem *suam* ab aquis putei repercussam nutus signaque sua comiter reddentem conspiciens, per falsam speciem delusa e vertice putei in aquarum voraginem se praecipitem dat, et in abysso demum, ubi post multa vana liberationis conamina misere exspirat, intelligit stultitiam suam atque illusionem. — „Atqui, addit poeta, haec vulpes o homo tu es, qui in summa tua calliditate circumventus in diaboli puteum, eheu quam misere, decidisti!" — Quibuscum conferenda quae Hammerus e libello precum Derwischorum depromsit in Geschicht. der pers. Dichtkunst. pag. 197:

„Ich bin der Falk der Geisterwelt,
Dem höchsten Himmelsthron entflohn,
Der aus Begierde nach der Jagd
Gefallen ist in ird'sche Form.

Vom Berge Kaf bin ich Simurgh, [1])
Den das Netz des Seyns gefangen hält etc."
De carcere hujus mundi Dschelaleddinus conqueritur cum multis aliis locis, tum T. I. p. 36. „Hic mundus carcer est animarum nostrarum, perpetuo evehi appetentium illuc ubi campum suum norunt. Etenim hic mundus limitatus est, retinet nisum qui sursum petit, decipit apparitione falsisque, quibus tam refertus est, speciebus; ille contra nullis

---

1) Nequeo hic, data opportunitate, notandam symboli persici cum Sabiorum divino symbolo similitudinem praeterire, quam ab aliis adhuc non animadversam video. Venit nimirum in libro Adami Numen supremum nomine: ܦܪܚܣܐ i. e. Phoenix v. Lib. Adami Tom. I p. 130, 12 ܗܘܐ ܦܪܚܣܐ ܟܡܐ ܦܪܚܣܐ et Tom. III in Onomastico p. 13 idque, ni fallor, docet ex antiquissima hieroglyphica designandi consuetudine comparationem desumptam esse. Spectat eodem *accipiter* in mysteriis Aegyptiacis.

terminis coarctatus, in eo nullae unquam turbant falsae apparitiones" — „Consilium autem quod Attarus in Dschauher odsāt cod. ms. p. 141 et Dschelaleddinus animae dant, in libertatem sese vindicaturae in eo positum est, ut cognita illusoria mundi natura ad Deum confugiamus tanquam arcem et propugnaculum nostrum unicum. Sic enim Dschel.: „Vin' liberatum iri? Age, abjice species illudentes apparitionis, et confuge, ubi solum veritas est, ad essentiam (Mana)!" —

Quod superest sic Ssufiis perspicatioribus visum esse videtur. Sumebant, siquidem hominis conditio nullo pacto lauta beataque haberi possit, dogma vero de homine lapso in universam suam rationem haud quadraret, naturalem quandam necessitatem, inferiores etiam mundi partes coli atque habitari jubentem, ex qua idcirco omnibus esset aliquando e beatioribus sedibus vel e gremio divinitatis deorsum migrandum; in quo scito, quantum concinant cum Platonicis non est, quod moneam. Neque eam sententiam dissi-

mulat Dschelaleddin in Metsn. T. I. p. 99. „Quum legatus Graecus ab Omare sciscitaretur: At quaeso quodnam mysterium ignotum subest, cujus ratione pura illa animae substantia in hoc spatium tenebricosum velut pura aqua in glebam luti includeretur? respondit Omarus: Sublimem per Deum immortalem! quaestionem habes. Quid autem? Nonne, dum hanc ipsam moves quaestionem tuam, vim quandam ponderosam in litteras abscondisti? Id profecto, licet ipse sis commodi nescius, commodi causa abs te factum? Atqui putemus illum ex quo commoda quaeque nascuntur nescire id quod est nobis perspectum (id est: putemus Deum ignorare omnia ex sapienti consilio agenda esse?). Eo (quod anima in corpus immissa), ut mihi quidem persuasum est, commoda millia conficiantur, quorum vel singulum millia antecellit, utilitatis habita ratione (i. e. Singulum illorum commodorum majus est, quam millia eorum, quae nobis commoda dicuntur). Si tu, quam exigua

numinis particula, nihil auspicaris nisi consilio quopiam motus, quanta tua est, temeritas, qui numen universum (i. e. cujus tu particula es) imbecillitatis audeas incusare?" — Alibi non negat inferiorem mortalium ordinem necessarium esse propter graduum continuationem varia naturarum genera invicem copulantem T. I p. 145; et T. I p. 202 exclamat alludens ad fatum nostrum: [1]) „Nonne necesse est, ut hordei granum prius in terra putrescat, quam ut spica progerminet, prius molis frangatur quam almus panis fiat, dentibus denique conquassetur, ut in hominis membra conformari possit? Quid? si falcatum

1) Habet cl. Lumsden in: Persian Grammar T. II p. 480 locum Dschelaleddini, in tribus prioribus partibus non obvium, in quo vir doctus metempsychosis dogma reperiri vult; nec id non verisimile. Quum liber Lumsdenii typis excusum in India raro admodum veneat inter nostrates, damus textum persicum, quem ille exhibuit:

lunae hemisphaerium in coelis occidit, quis nolit sperare plenilunium proditurum?" — porro Tom. I p. 230 de statione nostra haec verba eloquitur: „Quid? Provinciarum longe a metropoli remotarum praefectus si invicta fortitudine hostibus resistit, nonne jure et

---

از جمادي مردم و نامي شدم
واز نما شدم زحيوان دم زدم
مردم از حيوان و آدمي شدم
پس چه ترسم کي ز مردن کم شوم
بار ديگر کز بميرم از بشر
با ملايكي تا برآرم بال وپر

„Mortuus sum e saxo (i. e. saxum mortuus sum) et fiebam crescens, mortuus sum planta crescens, fiebam animal spirans. Quid ergo metuam me in moriendo minus futurum esse (i. e. me ad inferiorem gradum iri dejectum). Si denuo morior, nasciturus sum angelus aliger." —

merito amplioribus eum laudibus dignum judicemus quam praefectum metropolis?" —

Jam quum hominis conditio, quia terrarum sedes, arctis undique limitibus constrictae, excelso animo minime competant, in universum tristis censeretur atque funesta, per se intelligi licet corpus, quod omnis fragilitas ac vitiositas humana in corpore proprie resideat, pro onere molestissimo habitum esse animique carcere foedo et horrendo. — „Corpus, ait Dschelal. T. I. p. 40, vanum nomen est, animum sequamur oportet ad coelum nos evecturum, nam, addit idem p. 37, corpore demto instar puri Messiani halitus [1]) animus noster evadet." — et ibid. p. 119 et p. 101. „Corpus caveae simile est, tanquam spina est qua introeuntes et exeuntes falluntur, quin inter Curanum legendum animi avis, carceris sui pertaesa, e cavea sua in coelum evolare cupit." — In eodem argu-

1) Jesus, e Muhammedana traditione, halitu oris sui sanabat aegrotantes.

mento quam plurimum versatur Attārus in Dschauher odsāt, qui exclamat, v. cod. ms. p. 11: „Laeto aderis o momentum, ubi animus sine corpore vagabitur, ubi tantum in substantia essentiae invenietur, quid enim potest optabilius mihi contingere? Sed jam nunc cor meum prae desiderio in sanguinem dissolvitur, veni o arcanorum pocillator, effice ut in mea ipsius essentia absorbear!" — Hinc in expedito est intimae unionis cum Deo in his terris nullam esse facultatem, illam enim germanos Dei amatores in coelo demum manere, ubi propius omnes jungentur Numini, nunquam posthac ab eo distrahendi; id quod latius evolvitur in loco a doctissimo *Lumsdenio in Gram. Pers.* T. II. p. 323 exhibito.

Restat ut illustretur quidnam Ssufiis visum sit de vita animae humanae ejusque ratione et indole tum antequam corpore induebatur, tum post corporis interitum. In eo vero argumento Muhammedani haud secus atque Christianorum doctores in spinosissimas quae-

stiones se intricari passi sunt, utrum nimirum secundum Tertullianum prodantur *per traducem* animae ad posteros, an secundum alios gignendi momento infundantur, an denique ex Originis sententia, jam diu ante terrestrem vitam, superiorem vitam egerint eamque beatiorem et sublimiorem. — Ssufii quorum non parum intererat [1]) eis doctrinam suam placitis, quae fictioni potissimum favent et indulgent, accommodare, Origenianam amplecti sententiam nihil morati sunt; praesertim quum Curanus tali ratiocinio non

1) Non soli e Muhammedanis Ssufii dogma prioris existentiae approbabant. Habebant cum alios tum Nasiraeos in hac opinione socios v. Archiv für Kirchengesch. v. Stäudlin u. Tschirner B. 2. St. 2. dissertationem Roussovianam, ubi eisdem Nasiraeis etiam ἀναμνήσεως dogma adscribitur quod fortasse Persis referunt acceptum v. Dabistan ed. Gladwin vert. Dalberg p. 20. et Dessatir ed. Firus Bin Kaus, Bombay 1818. T. I p. ١٠ & ٩٧.

diserte occurrat, siquidem et nostri sacri libri injudicatam hanc quaestionem relinquunt, imo praeexistentiae dogmati quodammodo annuere videatur. Neque negari ullo modo potest ad universam rationem ssufi-cam praeexistentiae scitum quam maxime facere. Praeter locos supra a nobis allatos, ad vitam animae superiorem probandam, hi quoque in lucem vocandi sunt: v. cl. Hammerum in Gesch. d. p. D. e breviario Derwischorum p. 197:

„Gestern schlug ich noch der Herrschaft Pauke,
Schlug das Zelt auf an dem höchsten Thron,
Trank, kredenzt von dem Geliebten,
Wein der Einheit aus dem Allmachtsbecher.

praeterea v. Metsn. cod. ms. Tom. I p. 142. „Sol continuo effundit animas, jam vacuus redditur, jam denuo repletur. O tu Sol spiritualis معنوى, animas profundens! mundum veterem reddas, precor, novum; nam in perpetuum fuit spiritus et anima e mundo arcanorum in hominum personas tanquam jugis aqua.“ — et Metsn. T. I p. 94. Oma-

Omarus paucos esse Ssufios affirmat, qui itinerum animae gnari et qui edocti sint quas aërias vias Gryphus mentis humanae pennis praepetibus carpserit in vita superiori tunc jam nihil turbatus nec spe nec metu." — Graviter et quasi ovans et triumphans reditum animae illuc unde est egressa identidem depingit Dschelaleddin, Attar, Dschami, Ssaïb. Audiamus Alium, quem Dschelaleddin in Metsn. T. I. p. 248, sic fingit exclamasse jam citius quam a pugione Ebn Muldschimi percuteretur (qua de caede legatur Abulf. hist. Mosl. ed. Reiske Tom. I): „Dies noctesque percussorem meum vidi, nullos tamen animadverteris irarum aestus in animo meo concitari! Nam quid irascer, quum mors mea quasi manibus contrectet resurrectionem meam! quippe dum exterior mea facies occumbit neci, in intimis praecordiis vita efflorescit, dum ad externam certe speciem nulla videor gaudere posteritate, reverâ sempiternitatem consequor. Quare agite dum amici mei! memet obtruncate obrutum conviciis,

heia in leto meo vita mea sempiterna! Nisi his ex terris mihi esset discedendum, quorsum dixerit Deus in Curano: Ad Ipsum revertemini! — Per Deum immortalem! In morte mea vita mea, heu quamdiu patriis ab oris exsulor! Redit quasi in urbem suam, qui e vitae dissipatione (i. e. vita, ut ita dicam, individualis) regreditur ad Unitatem!" — [1]) Reditum autem nullum norunt alium, praeterquam absorptionem in divinitate, quod quia e plurimis locis evidens est, unum solum huc spectantem protulisse sufficiat: Metsn. T. I. p. 57: „Colores venusti e vase puritatis, colores turpes ex atra foeditatis aqua profluunt. Tamen, quod e mari venit, in mare redeat necesse est, unde venit, illic

1) Persa quidam orthodoxus amicissime cum cl. Malcolmio conjunctus in epistola ad virum illustrissimum hos Dschelaleddini versus citat, simulatque asperrime propter haereticam fatuitatem perstringit. v. Malc. Hist. of Persia Tom. II.

et redeat oportet." — Nunc ideo consentaneum est, tribus verbis jam dicere de ratione qua illa olim futura est absorptio.

Hîc vero, ut saepe alias factum, ad Indos nobis redeundum. Sicuti enim Upnekhatum T. II. p. 401. tres esse docet mundos, *mundum mortis*, *mundum vigilandi* atque utrumque inter *mundum quiescendi*, triaque esse tempora, quibus cuncta animantia cum Numine divino unita, videlicet *mortem*, *somnum* et *resurrectionem magnam*, sic et ab ipsis Ssufiis animus, dum somno occupatur, se quasi in gremium Numinis recipere credebatur, eandemque ob causam absorptionem illam, qua perfruemur aliquando vita relicta, statuunt, non incommode posse cum somno comparari. Hoc illud est quod scribit Dschelaleddinus T. I. p. 203. „alteram vitam, quoniam ibi homo quasi sensibus vegetis feratur, non esse absimilem somno in quo idem locum habeat: propterea enim fatigari homines interdiu quod sensus suos quasi ferre obligentur." — cf. Metsn. T. I. p. 25. „Nocte qua-

que o Deus e corporis reti liberatas tabulis rasis similes reddis animas! nocte quaque, ex hac cavea emissae, vacuae sunt nec gubernantes nec gubernatae, noctu captivi carceris ignari, noctu reges throni nescii, tunc neve cura est, neve cogitatio, qua grate aut ingrate perciri possint atque affectari. Sapiens vero interdiu etiam hac gaudet conditione, secundum Curani enunciatum: Vigilantes eos putas, sunt tamen sopiti, noli proinde in metu eos habere. Respectu enim ad res mundanas sopiti sunt noctu et interdiu, instar calami sequentis quoquo vertatur ad arbitrium tenentis (secundum traditionem Muhammedis: *Cor fidelium est intra digitos Domini misericordis; a quo ad lubitum torquetur quoquo versus*). Jam cui manus non est observata, calamo tribuit scripturam, nec vero Domino. Igitur quod reliquis nunquam contingit nisi nocturno tempore, id perpetuo percipiunt sapientes" — et Metsn. P. I. p. 121: „Proficiscuntur ex privato in essentiam (i. e. e mundo ad Deum) perpetua

continuatione agmina itineraria alterum alterum insequentia, maxime quando cogitationes omnes et intellectus, qui per noctem in absorptionis oceano quasi erant exstincti, redeunt mane catervatim." —

Verum enimvero multos sentio quaerere, quid sit quod, quum corporis instauratio futura disertissimis verbis in Curano praecipiatur, ei autem absorptio in Deo adeo sit contraria ut nihil possit ultra, hoc tamen decretum nihilo minus a bene multis et suscipi et palam pronunciari potuerit? Multo interea minus mirabile videbitur, reputata summa, quae inter ipsos Christianos est hoc circa placitum, discordia atque dissensione, maxime quum nostra aetate numerosior ipsorum theologorum factio non labefactare modo fidem in totius hominis restitutionem sed haud ambigue rejicere audeat. Sic nec inter Muhammedanos defuere, qui non solum resurrectionem tollere periclitarentur sed ipsum suas in partes trahere legislatorem Muhammedem.

Legitur palmarium hoc de argumento

Curani dictum in Ssurat Almumin v. 11. ربنا امتنا اثنتين واحييتنا اثنتين فاعترفنا بذنوبنا الخ i. e. „O Domine noster! Bis morte nos affecisti, bis vitam reddidisti nobis, et peccata nostra confessi sumus etc.“ — Ad haec Hussain Wāis commentator summae apud Orientales existimationis (v. Herbelot) in margine ad p. 233 T. I in Metsnewi: „Mors prima decessus e vita est, tum redditur nobis vita in sepulcro, deinde iterum exstinguimur in sepulcro ad vitam redituri die resurrectionis.“ — At Ghasalio, qui eo etiam in dogmate pertractando non mediocrem ostendit cum Origene similitudinem, adeo displicet illud interpretamentum ut, cod. ms. de quadr. princ. p. 264, qui secundam necem in sepulcro sciscerent, fatuos declararet „ob vilem coecumque auctoritatis doctorum studium, expertes veritatis;“ — sumit quidem ipse duplicem resurrectionem majorem et minorem; ad mortem vero alteram refutandam non modo traditione pro-

phetae utitur: Mors resurrectio est! verum etiam versu Curanico: Cave mortuos putes qui pro re divina occubuere, vivi sunt apud Dominum suum Deum." De resurrectione duplici plura desideraturos remittit ad librum suum magnum: De restaurandis litteris, ac nominatim ad caput: De patientia; at hoc caput, pro dolor! haud deprehenditur in mutilo nostro codice. [1]) — „Aliam Curanicorum istorum versuum interpretationem, postquam primum vulgarem Waisianam delibavit, tentat auctor libri: Institutio in theologiam scholasticam. „Sunt, ait hic, qui vitam primam notare velint superiorem nostram, mortem primam coarctationem in matris utero angusto, vitam secundam exitum e vita terrestri." — Id quod prope accedit ad exclama-

---

1) Sentio tamen, resurrectionem, quam dicunt magnam, absorptionem esse, eo magis quod eandem vocem interpres persicus in Upnekhato usurpavit, ubi in textu de reditu animae ad Brahmam agitur.

tionem infantis, a crudeli Judaeorum rege in flammas conjecti, v. Metsn. T. I. p. 53: „O mater mea dulcissima, quum ederer ex utero tuo, multum quidem angoribus excruciatus sum, at enim in mundum ingressus, carcer mihi horridus videbatur uterus tuus angustus, nunc vero moribundo mundus ille coloribus nitescens [1]) etiam utero angustior mihi videtur, namque his in flammis mundum vidi, cujus atomus quisque halitus Jesu est.“ — Utut vero versus Gurani sunt exponendi, id mihi est persuasissimum, valde Ghasalii sententiam circa instaurationem corporum ancipitem fuisse, atque luculenter hoc

---

1) Mirum quantum et hic congruat cum Ssufica dictione Orphicorum, veterumque Persarum sermo. Nemo est quem lateat quantum cum Orphicis in usu fuerit, tum Platonicis multiformes variasque rerum species colorum describere figura. Idem conspicitur in Despatiro, ubi sexcenties Deus praedicatur nomine لا رنگ „*colorum expers.*“ —

confirmatum video teste gravissimo uno Ebn Tuphailo, qui in *Philos. autodidacto, Oxonii* 1671. [1]) p. 42. declarat, Ghasalium, etiamsi in opusculo: *Tohhfat* i. e. *Munus* haereseos incusasset, qui tollerent resurrectionem, postea tamen in libro: *Almaisan* i. e. *Trutina* retractato calculo suo nihil dissimulasse, se multum hoc de argumento meditatum ad extremum ad opinionem discessisse Ssufiorum, negantium corpus, post ejus ab anima scissionem, diutius permansurum atque unquam denuo futurum animae domicilium. Quodsi vero theologus, cujus auctoritatis tanta erat vis, dogma in dubitationem vocare auderet principale in Muhammedanismo, quidni ausi sint quidve haesitaverint Ssufii? — Habemus

1) Vertit hunc libellum, majore existimatione dignissimum, quem a magno Leibnitzio et summa voluptate lectitatum ferunt et plurimi aestimatum, in vernaculam cl. Eichhorn: *Der Naturmensch oder Geschichte des Hai Joktan. Berlin* 1787.

praeterea in verbis Tuphaili certissimum de Ssufiorum persuasione documentum, ex quo sine ambagibus concludendum est, in omnibus eis, quibus probari videtur resurrectio, assertionibus suis, eorum tantum Ssufios commodo serviisse, qui philosophicis argutiis atque ratiociniis huic dogmati occurrentes, adhuc procul abessent a luminibus mysticis, atque eam ob causam, priusquam imbuerentur sublimioribus praeceptis mysticis, ad fidem videbantur Curano habendam adducendi. Sic contra scrupulos philosophicos it Dschelaleddinus Metsn. T. III. p. 113 et 114, monendo, quod vulgo faciunt, Deum qui tam mira arte sollertem corpori conformationem dederit, membra alterum alteri adaptaverit, sane non eo id fecisse, ut quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in putredinis sempiternum pulverem; quidni enim possit pristina membrorum junctura restitui a rerum omnium conditore potentissimo, a quo in principio corpus mirifice aedificatum et profectum sit? At cave plenam fidem habeas ejusmodi asser-

tioni, nam longe aliud quidpiam quasi per transennam innuit Tom. II p. 238: „Opifex magnus, quem tota natura Dominum suum amplectitur, mille atomos scite colligavit, at animarum, quas Curanus aquae figura significat, cum luto conjunctio nimis est imperfecta quam quod in ejusmodi catenis spiritus possit permanere; tamen plura his similia per figuras tradere nunc nec placet nec expedit, nam valde timeo, ut talibus ne magnopere mentes conturbentur.“ — Inde fit, ut mystici et Ssufii, utrique, ubi antiquiorum librorum auctores de resurrectione loquuntur, id de reditu ad Deum accipiant futuro statim post animam exhaustam. Quod reditus momentum quum فردا i. e. *cras* ab eis appellatum sit, idem vocabulum inconcinne transferunt in resurrectionem pro voce قيامت, vel etiam cum hac conjungunt, v. g. in Beharistano cod. ms. Raudat I: فرداي قيامت et in Tesk. ol Aul. Rabiae pronunciatum: Aegrotabo donec crastino die

metam meam assequar. Huc facit locus in Tesk. ol Aul. fol. 31 v. ubi Attār dictum laudat Abbāssii aequalis prophetae (de Abbassio consulendus est Herb. et Abulf. Annal. Mosl. T. I, p. 417; obiit a. 68 H.): „Quando die novissimo viri provocabuntur, prima apparebit in eorum ordine virgo Mária" idque non de resurrectione dictum vult, sed sic explanat: „Propria hujus dicti vis ea est: tunc nos cunctos absorptum iri in divinitate ideoque nec egoitatem nec tuitatem esse mansuram, nedum marem et feminam."

Hactenus disputatio de Adamo deque ortu et interitu hominis; ex cujus universo ambitu nec id non intelligetur, confuse in eorum scitis invicem permistum esse quod Adamo debetur ceu generis humani proauctori, quodque ad hominum historiam in universum pertinet. Ejusmodi permistionis exemplar primarium jam praesto erat apud Rabbinos, qui obscuritatem atque confusionem huic superjectam argumento eo etiam adauxerunt,

ut e traditionibus Orientis de primaeva hominum felicitate atque beatitate novas excuderent fabulas de Adamo Microcosmo et quae ejusmodi plura sunt. [1])

Dicendum mihi adhuc est de dignitate hominis, id est quatenus liceat hominem Dei nomine vel certe divinis qualitatibus praedicare; nomine enim Numinis supremi non solum Bustamius se perhiberi postulavit et Hellādschius, de quibus nos supra, sed alii quoque complures e Ssufiorum ordine fanatici.

Maximi hac in re ponderis sunt verba Asisii acuti, qui cod. ms. p. 44: „Noscat cujus animus dubitationibus excruciatur, essentiam non esse nisi unam; nam Deus solus, qui occultus, occultans simulatque praesens est,

---

1) Nullum fere Orientalium systema religionis est, quin dogma prodat de Adamo Microcosmo. In eo vero certissima ego indicia video traditionis de Paradiso primaevorumque hominum divino statu, divinaque indole.

ille solus Egoitate dignus, cujus ad latus Dualitas nulla, nec Ego, nec Tu, nec Nos exsistit, siquidem, quum in Unitate distinctio nulla praebeatur, Ego, Nos, Tu et Ille idem sunt. Quotus enim quisque dimiserit notiones: *quomodo* et *quorsum*, inanem sonum judicabit stultorum exclamationem: Ego Deus sum. Is aeterna quadam ratione jam inde nullus perit, iter itinerans et via unum fiunt. Doctrina *Indeationis* (dixeris: Eingottung, haud scio an hic locum habeat: *die Infasslichkeit Gottes*, de qua Jacobus Boehmius, حلول) et *Unificationis* (Die Zusammenbegreifung in Eins, Die Einsmachung اتّحاد) obscurae mihi originis sunt, *Unionis* (proprie: das Einsseyn, die Einung توحيد) vero doctrinam fructum ex itinere ad Deum esse, certe mihi atque indubitatum est." — Perspicitur proinde duas a genuino Ssufio doctrinas rejici Indeationem et Unificationem, quae subinde propius sunt examinandae.

Quod spectat ad Unificationem, pro per-

spicuitate enim vocabula barbara retinemus, nativus vocis إتحاد sensus a Dschordschanio v. *Notices et Extraits des mss. de la bibl. royale* à Paris T. X. p. 193 sic redditur: الاتحاد تصيير الذاتين واحدة „Unificatio dicitur si duae substantiae una fiunt." Qua cum definitione convenit quod Asoddin porrigit super voce متحد *unificatus*, cod. ms. p. 12: „Unificatio in Deum non valet, *muttahid*, *unificatus* vero est, in quo duae naturae idem fiunt, sine externo aut incremento aut defectu." Quae notitiae ubi in Deum transferuntur, id significare videntur Pantheismi genus, quod grassante in Germania pestifera pseudo-philosophia gallica, auram popularem captavit Germanorum, et quod a viro illustri, quem honoris causa nomino, *Baumgarten-Crusius Einleitung in d. Stud. d. Dogm.* Leipz. 1820. p. 20. haud inepte *mathematicum* appellatum est, ni forte malueris *numericum* nuncupare. — In antiquissima aetate non reperimus aliam doc-

trinam praeter Emanatismum, quem ego cum Fr. Schlegelio purioris habeo priscae divinae institutionis deformationem, quandoquidem nihil unquam mihi persuadere poterit vere sentire auctorem libri: *Die Allgegenwart Gottes*, Gotha 1814, quum p. 503 affirmet Emanatismum, fructum judicii et limatioris et acutioris longe serius prodiisse e Pantheismo. Serioribus vero temporibus magis magisque ea doctrina invaluit, quae Deum quasi enasci et constitui docet e hominum rerumque universa comprehensione, cujus Pantheismi germanus frater est Polytheismus, nam scite observante cl. Ouwaroffio [1]) *vulgus omnia vult Deos esse, philosophus Deum esse omnia.* Quapropter ex antiquis gentibus inter genuini Pantheismi patronos non recensendi sunt, nisi Graeci, Romani et fortasse barbarae gentes aliquae, [2]) namque et Aegyptii

1) Nonnos von Panopolis, der Dichter. Petersb. 1817 p. 24.

2) v. doctam cl. *Münteri* dissertationam: Ueber

gypti ab hac doctrina in principio alieni erant. [1])

Ueber d. Religionen des Nordens in Archiv für Kircheng. Leipzig 1816. B. 3. St. 2.

1) Etsi ego in Orphicis carminibus merum agnoscam Pantheismum, nihil tamen, quin Orphico aevo Graecia quoque Emanatismum noverit, me dubitare sinunt doctae *Creutzeri* lucubrationes, cujus studiis universa antiquitas Graeca nova luce offusa est. Nam hoc dudum necesse erat, ut Graecarum litterarum peritior denique aperte pronuntiaret, in solo Oriente Graecae religionis fontem esse, firmaretque sententiam Platonis quasi cujusdam Dei philosophorum, a quo judicatum novimus, *mythos Graecos gravia esse carmina Orientalium, quae in leves Graecorum fistulas olim inciderint.* Sed, ut hoc taceam, quid non meritus de Christiana religione vir eruditissimus, unus, qui contra vulgarem jejunamque aequalium opinionem non diffiteretur primaevam esse institutionem et manifestationem Numinis supremi necessario sumendam atque ideo indubitate multiplex et

De *Indeatione*, حلول, accurata notitia datur ab Asòddino cod. ms. pag. 13. „Deus excelsus in subjecto non est, neque cadere in eum potest Indeatio. Ea autem tum locum habet, si res rei ita inhaerescit, ut nisi haec esset altera, illa esse non posset, quemadmodum color, odores et gustus corporibus inhaerescunt. Nam si Deus esset in subjecto, possetque Indeatio locum apud eum habere, consequeretur ut Deus indigeret re aliqua, nec ei competeret existentia absque subjecto, videretur proinde possibilis quoad existentiam, atqui Deum esse possibilem absurdum est, ergo nefas est ei attribuere Indeationem. Ex quo intelligitur absurdam esse sententiam Ssufiorum quorundam tradentium immittere sese Deum in pectora piorum, nec non Christianorum opinionem ex qua Deus se immisit in Jesum, super quem pax sit." — Eodem redeunt, quae docte, ut solet, Reiske

---

deforme Pantheismi et Polytheismi monstrum serioris esse aetatis Monotheismo.

memorat ad Abulfedae histor. T. II nota 8 et doct. Pococke in Specimine hist. Arab. ed. altera, pag. 261, nostrique insuper argumenti sunt, quae legimus apud Malcomium, History of Persia Tom. II pag. 389. Recepit enim vir doctus litteras ab amico suo Aga Muhammed, in quibus duas statuit principales scholas Ssufiorum. Altera *Indeantes* الحلولية Deum in mortalium animos sese instillare, altera *Unificantes* اتحادية Deum cum homine mystico unum esse asserunt, quibus ambabus tertia accedit *Uniti existentes*, وحدتية quae perhibet „rem quamlibet Deum esse, et Deum vicissim rem quamlibet.“ —

Reprobata itaque et Unificatione et Indeatione, contulerunt se Ssufii ad *Unitionem*, توحيد, neque id imprudenter, quum et ipsi orthodoxi Muhammedani, licet notione, quae a Ssufica toto coelo distat, doceant Unitionem توحيد. Ex orthodoxo sensu uni-

tio, teste Asoddino cod. ms. p. 3, fides est „in Deum vere existentem ejusdemque qualitates positivas et negativas." [1]) — At enim Ssuficus magister Dschuneid, ut in superiori loco vidimus, hanc tradidit Unitionis definitionem: „Ubi certa scientia cognoveris a Deo creari motum et quietem ac quidem sine ulla operatione hominum, Tauhīdi leges observasti" et alius Ssufius claritate insignis Abu Muhammed Rujaim (qui obiit, teste Caswino cod. ms. p. 38, a. H. 303) aeque mystice sic eandem notionem delineavit: „Est Tauhīd obliteratio naturae humanae et denudatio naturae divinae." — Denique illust. de Sacy in Pend-Nameh, Paris, 1819 p. LXII

---

1) Asoddin cod. ms. p. 5 qualitates Dei, prout scholastici Muhammedanorum theologi solent, dispescit in positivas et negativas صفات ثبوتية وسلبية, negativam dicit quae solius Dei est v. c. unitas, positivam, quae gradu inferiori etiam hominibus competit, veluti potentia, bonitas.

è libro: *Descriptio terminorum technicorum* Dschordschanii, hanc vocis explanationem depromsit: „Denudatio essentiae divinae ab omnibus rebus, quae in ratiocinando excogitantur, quasque fingendo et meditando imaginamur." — Quae quum ita sint, in promtu est, alia prorsus de re atque orthodoxam ecclesiam Muhammedanorum, Ssufios agere, dum nomen istud praetendunt.° Existimant enim Deum, postquam per emanationem semet ipsum infudit atque instillavit mundo, singulari quidem existentia gaudere et propria, eadem tamen experte conscientia sui, ita ut simul intima conjunctione cum hominum rerumque universitate cohaereat, vel, prout nos diceremus, eis insideat per immanentiam. - Sed vereor ne hoc quod dico non perinde intelligi lectu possit, atque ipsi cogitantes sentiunt, idcirco oportet, quae in capite de emanatione mundi enucleatius ex ipsorum scriptis depromsimus, curiositate accuratissima conferre et digerere, ut quae sit eorum opinio omnibus partibus in luce ponatur.

Nequeo vero hîc intactam relinquere singularem Dessatiri cum Ssufiis concordiam, quae in hoc placito tanta est, ut fere relapsus sim ad meam de Ssufismo profecto e Magica disciplina conjecturam. Judicent ipsi lectores, quibus proponam acurate versas aliquas e revelatione prophetae Dschemschidi paragraphos v. Dessatir I. § 59. sqq. „Mundus cogitatio est Per-se-exsistentis. —. Non-esse speculum est τȣ esse [ad verbum haec eadem leguntur in Metsn., ut infra videbimus]. Multiplicitas mundi visibilis et invisibilis Unitas est respectu ad Unitatem Dei, nam alii rei existentia non competit ulli. — Qui ad metam pervenit Unitatem in Multiplicitate et Multiplicitatem in Unitate videt." — Ad hanc paragr. commentarius Ssassani: „Sunt qui Vere-exsistentem abscondant in creaturis nec cernant nisi has, qui existiment Vere-exsistentem separatum a creaturis, et creaturas vicissim ab illo separatas; hi dicuntur: فرجنك شاي id quod notat: *inferiores.* Sunt praeterea qui Vere-Exsistentem

cernant sed non creaturam, hi se annihilant, vocantur سمرون i. e. *Uniti.* Sed turba praestantissima videt Vere-existentem et cernit per eum creaturas et animadvertit Deum in omnibus, quae in existentiam vocata. Hi non putant confusionem, si Multiplicitas in Unitate et haec in illa agnoscitur, cujus familiae beatissimae nomen est: سمرون سمرون: *Uniti in Unitate.* — O Dschemschide, vides Deum in servo ac servum in Deo.“ — Haec cum eis, quae Ssufii tradunt adeo sunt fere ad verbum congruentia, ut propemodum dixerim aut hos a Magis nonnihil certe mutuatos esse aut Dessatirum placita continere novissimis demum temporibus excusa. Quod utrumque quantum sit probatu difficile non ignoro.

Jam vero ex modo dictis manifestum est sibi suisque principiis, etsi prima facie aliter plerisque possit videri, apprime constitisse Ssufios, si impugnandi, si castigandi, si reipublicae pestem fugiendi ducerent, qui pa-

lam et diserte pronunciarent, aut esse se Deum aut honorem sibi competere divinum. Propterea enim Asisius cod. ms. p. 43 subsannans de' Helladschio Manssuro: „Vin' te facere [1]) gossypiarium? abi nunc, exclama scilicet Helladschiano more: Ego sum Deus! At, sodes, abjice ex aure tua xylinum, ausculta voci clamantis: Deus est unus, praepotens! Haec vox nullo non tempore e Deo sonat, cur enim in resurrectionem credidisti [hanc lineam, quam in textu videas ad calcem libri, non comprehendi]? Ingredere vallem fidei, alioquin subito vel ipsam arborem audieris clamitantem: Ego Deus sum!" — Desuasurus ab istiusmodi dementia Asisi suam persuasionem pronunciat cod. ms. pag. 47: „Speculo ante te posito personam in eo adspicis, ignoras vero quid persona illa sit, nec enim hic est, nec ille. Quum nunquam prae-

1) Discimus e Chilcano hunc initio Manssuro fuisse quaestum, nam et nomen حلاّج, indicat: gossypii purgatorem.

terita tempora redeant, quid est mensis, quid annus, nisi unum punctum naevi instar. Proinde fidem mihi habe! Est unum punctum imaginarium ubique circumcursans, quod dixeris flumen perenne; ergo quandoquidem, verum si quaerimus, in hoc lato campo nemo sit praeter Deum, ecchone et vanus sonus potestatem habet (i. e. num aliud homo est quidquam praeter sonum a divinitate repercussum?)? Accidens praeterit, ex accidente tamen corporum congeries composita, dic ergo ubi est compositum?" — Nec vero hoc obstitit quominus plures Ssufii, tantum non Helladschiana enunciatione, identidem divinitatem prae se ferrent certam sibi redditam per Unitionem. Sic senex apud Attaruin cod. ms. p. 120 Deum alloquitur: „Tu purus atque incorruptus in essentia mea lates, nec enim, ni tua fuisset essentia, ego unquam prodire potuissem. Tu inhabitas pure et incorrupte praecordia mea et animum, intimus meus sensus arcanum absconditum est." — atque ibid. pag. 15. „Quum per Unitionem

توحيد amicus (puta: Deus) in unitate يكي sim, propter unitatem scio me etiam materiem esse universae rerum naturae. Ego sum amici mei Unitas, mysteriumque mysteriorum, equidem de corpore et animo verba facio, equidem Unitio sum mysteriorum praeclarorum, arcana lunae imo et piscis (paronomasia vocis *māh* ماه *luna* et ماهي *māhi, piscis*, sensus itaque: rerum omnium) significo; in aperto est me esse amici Unitionem, inspicit ipsitas mea semet ipsam." — Quid quod interim dum homo sermocinatur, immutata natura humana in divinam, vel ut rectius dicam effulgente e recessu pectoris divinitate hominis in conscientiam sui vocata [1]), Deus ipse fari infit, quemadmodum in

---

1) Res abstrusa! Quam scite a Jacobo Boehmio istud divinum hominis semen, postquam primo peccato commisso (ipsius verbis utor) *in intimum hominis principium* se abscondit, *centrum* nominatum est hominis. Ibi, ait sutor

illustri loco apud Attarum cod. ms. pag. 17: „Infinitus quum sim de mea ipsius Unitate dico aliudque nihil praeter me ipsum adspicere satago, Ego me ipse profiteor arcanorumque arcanum, nam egomet ipse in hoc Attari sermone fatus sum. Ego Attār sum atque ille mirabile dictu! loquitur simulatque auscultat. Nec enim unquam meas laudes aliquis pandit, siquidem Ego sum veritas, dicit ac subinde obstupescit; nec unquam pandet aliquis in reliquum, sin minus, Egoitas mea de se ipsa dicit.“ — Quid potest abstrusius, quid audacius cogitari! Quin qui ex intimis animi preces fundit, sibi oranti annuit ipse, annuit autem imo vero ne orat quidem ipse, sed Deus est qui preces cum fundit tum accipit, v. Metsn. T. III p. 13. „Tuus ille dolor, preces tuae et ardor prae-

Deo plenus, occulte latet, vim quidem suam exserens verum nemini uni penetrabilis, nisi cui se ipsum vult patefacere.' v. Arnoldi Ketzerhistorie, T. IV p. 1453.

cursores mei (Dei) sunt, mea incitatio ad preces te stimulavit, in quaque invocatione tua: O Deus Domine! responsio mea latet: Ecce tibi adsum fili!" — et Metsn. T. III p. 146: „Tum misericordia motus lacrymas effundere multoque cum gemitu Deum invocare Daki-ki inchoavit. At enimvero qui ita orat, non orat ipse, sed pro ipso absorpto precatur Deus, ac dum idem ille absorptus manet exaudit Deus preces et optatis annuit," — quibus dictis et illud respondet Metsn. Tom. III pag. 151.

Dignitate autem hominis probe fixa ac stabilita, illud excutiendum, ut sciatur quid hoc de placito visum sit caeteris Muhammedanis. Ut enim alias sic hîc quoque Ssufii ipsi nil novi invenere, sed absolverunt telam a mysticis acceptam. Locus Curani, quem ii semper in medium ferunt, quibus altiorem hominis dignitatem defendere et probare cordi est, sic sonat: „*Quocirca tibi instillavimus spiritum e re nostra.*" id quod in eum sensum interpretantur, formare Deum excelsum,

qui immiserit in hominem sui ipsius particulam, quasi centrum hominis ejusque principium. Appellaverunt divinum illum spiritum روح ربّاني i. e. spiritus Domini, quo nomine creberrime venit in scriptis Orientalium, eique non tantum altiorem potioremque assignarunt locum, quam spiritui quem dicunt sensitivo, sed eo processerunt, ut non participem ejus judicarent, nisi sanctos et prophetas. Adi de hoc spiritu disserentem Ghasalium cod. ms. p. 243. Cui eidem spiritui divino, quum superiorem etiam qualitatem tribuerent, et notitias coelestes ex se evolvere et Deum in intimo naturae suae recessu persentire: amplam, compositam ac fere completam Ssufiis largiebantur materiem ex qua hi poterant suam doctrinam confingere atque enucleare.

Jamque cognita ratione, qua homo e Deo progressus arcta necessitudine cum fonte et radice sua cohaeret atque ad eandem illam rediturus est, quae mundi sit ad Deum

ratio investigare properemus, quandoquidem tunc demum, ubi et hoc nobis perspectum erit, plena potest et absoluta emanationis notitia existere.

Caput quintum.

De emanatione mundi ejusque cum Deo cohaerentia.

Quo accuratius implicatum hoc nostrum argumentum persequamur et dilucidius, tripartita disquisitione id quod quaerimus eruere placet. Proinde *primum* quaeramus: Quorsum Deus mundum condiderit? *tum:* Quando eum condiderit? *postremo:* Quaenam fuerit ratio condendi ejus et quo pacto nunc perpetuo integer conservetur?

Quaestioni primae occurrunt Ssufii partim ex more suo afferentes metaphoras et figuras, partim utcunque argumentationis periculum facientes. Prioris generis illud est

*Dschelaleddini abstruse enunciatum Metsn. T. I p. 125:

این من وما بهر ان ساختي
تا تو باخود نرد خدمت باختي
تا من وتو همه يک جان شوند
عاقبت مستغرق جانان شوند ❁

„Propterea quod tecum ipso latrunculis ludere volupe tibi fuit, hoc *Ego* et *Tu* a te provocatum est.“

Vis tamen metaphorae nostris certe auribus paullo insolentioris atque audacioris haudquaquam ambigua: mundum provocatum esse mero arbitrio Numinis, quod interna quadam necessitate compulsum se, si ita de Numine loqui fas est, dispesci vellet et diffindi. Quo pronunciato ruperunt utique nodum, cujus solvendi se impares sentirent, namque hoc ipsum, quod illi beneplacitum Numinis perhibent, erat quod quaerebamus. Nihilo minus reperitur eadem frivola figura apud Indos, in quorum Upnekhato loci sunt

cum Dschelaleddiniano nostro tam concinentes ut hic etiam fere sponte subeat suspicio Persam ab Indo vel hunc ab illo mutuatum esse. Prorsus germanus est ille in Tom. II Upnekh. cap. CXIII. „Initio erat Narain, ab esse solum sine quiete fuit (i. e. suimet solius existentia ei non satisfaciebat). Ideo quod voluit secum ipso ludum facere, de se ipso meditatus est, semet intuens.“ — et Tom. I pag. 77: „Quum creare Deus institueret, secum ipse ludere inchoavit بازي بخود بكند.“ — Nec minus in aliis Indorum scriptis haec sententiae illius metaphorica descriptio obvia. Idem de Deo profitetur Menu in Fr. Schlegelii: Die Weisheit der Inder, p. 283:

„Zahllose Weltentwickelungen giebts, Schöpfungen, Zerstörungen,
Spielend gleichsam würket er dies, der höchste Schöpfer für und für.“ —

Quo item pertinet imago Brahmae, quem interdum forma infantis repraesentant ludentis hallice ori immisso, v. Hollwells merkwürd. Nachr.

Nachr. v. Bengalen übers. v. Kleuker, p. 277, Dow history of Indoustan et. Tab. pict. ap. Paolinum in Recens. Codicum Mus. Borgiani, Padua 1793, pag. 172. — Quid quod eodem redeunt figurae omnes, quibus tam frequenter utuntur, de Deo dormiente rursusque evigilato, in Schlegelii: Ueber die Weish. d. Ind. p. 280, 281, atque in fragm. Maha-bharat ad calcem Upnekh. II p. 840; quapropter et ipsam materiem *Ram* dictam comperimus i. e. *ludificans* ob formarum tanquam velorum varietatem suavissimam ad Dei ludentis oblectationem, v. Kircheri China illustrata, pag. 157. [1]) — Caeterum per-

1) *Neque alium fontem habet*, si *quid video*, nomen ab *Orphicis* rerum naturae positum: ἀθυρματα τȣ͂ θεȣ͂ atque a *Platone*: θαυματα θεῶν v. Creutzeri Dionys. I p. 42 et Mythol. Creutzeri ed. altera 1819 I p. 592. cf. etiam quae erudite de *Heraclito* eandem proferente opinionem cl. Schleiermacherus in Mus. der Alterthums-Wissensch. T. I. p. 430. Etenim nudis verbis

quam idonea est latrunculorum metaphora ad id significandum, quod sibi proposuerant. Etenim recte dicere poterant Deum quasi Deo colludere, siquidem ante mundum emanatum solus esset secum ipso, post emanationem autem illae, quae processere, naturae ipsae essent Deus. Quae quum ita sint, saepissime audimus Ssufios perstringentes lusoriam mundi hujus naturam, neque id sensu pio ac serio reliquorum Muhammedanorum amplectentium pronunciatum prophetae: *Mundus ludicrus est vix momentum constans!* sed pantheistica notione ex qua entia individua nulla sunt, quemadmodum ap. Asisium cod. ms. p. 48: „Aliam ac metaphoricam essentiam noli quaerere in hac rerum universitate, quippe tota ludibrium est joculare lususque ad oblectationem jucundissimus," — et ap. Attārum cod. ms. p. 7: „Te

---

de Heraclito refert Proclus in Comment. in Tim. p. 101: „*Ἄλλοι δὲ καὶ τὸν δημιουργὸν ἐν τῷ κοσμουργεῖν παίζειν εἰρήκασι, καθάπερ Ἡράκλειτος.*" —

unum, mi Deus! in velo ludibrii conspicio, qui bene perficere valeas, quodcunque libitum tibi est." — Sed praeter hanc, quam dixerim *Indicam* emanationis metaphoram, sistitur a Dschelaleddino, quam *Cabbalisticam* licet nuncupare, Metsn. T. I. p. 183:

„قطرهٔ از دجلهٔ خوبیٔ اوست

کان نمی گنجد ز پرّی زیر پوست

گنج مخفی بد ز پرّی جوش کرد

خاک را سلطان اطلس پوش کرد

„Hoc universum gutta est ex Oceano pulchritudinis Ejus, nescia locum invenire prae plenitudine sub cute. Thesaurus erat absconditus; prae plenitudine agitabatur atque inde consequens erat ut Dominus telam sericam terrae induceret (imago poetica pro: creavit terram pulcherrime ornatam)." — Nequit, qui hos versus legerit non meminisse sciti illius Cabbalistici: [1]) defluxisse olim e

---

1) Parumper differt ea, quae in codice *Emek*

receptaculis כלים Numinis divini supra quam ferre possent repletis, scintillas quasdam ניצוצות coelestes, ex quibus in vacuo profundo obortus sit atque enatus orbis terrestris. Mirabilis profecto utriusque dogmatis concentus; nec tamen vel in hac quanta cogitari potest maxima opinionum similitudine nos ii sumus, qui statim de nexu historico cogitemus. Malumus vel hanc tantam sententiarum concordiam Orientali dare ingenio poëticaeque indoli. Undenam enim dogma suum venit Cabbalistis? Undenam Ophitis, de quorum cum Cabbalistis nedum cum Ssufiis tam intima necessitudine vix quisquam suspicionem habet? Erat autem istis plane

---

hammelech, decreti hujus expositio, invenitur: „Effusa est lux divina gradatim ad Sephiram quamque. Quum autem Sephirarum tertia Binah i. e. intelligentia omnem lucis copiam Gedulae i. e. magnificentiae affunderet, rupta est ob nimiam lucis molem etc." v. Apparat. in libr. Sohar P. II p. 151.

idem placitum. Tradebant naturam quandam fluidam et inconstantem, quam appellabant *ἰκμας τȣ̃ φῶτος humorem lucis divinae*, vel *προυνεικος* (i. e. concubitum appetens ante tempus statum. Puto verbo graeco respondere nomen Orientale Achamoth nec solum eo sensu, quem indicat Hooper collato vocabulo hebraeo יחם et arabico وحم, verum omnino sensu spiritualis aeque atque carnalis cognitionis, ita ut formatum sit a syriaco ܝܚܡ denotante utrumque; etenim consentaneum est *et* in Gnosticis vocabulis enodandis syriaci sermonis potissimum rationem habere, *et* utramque vim in vocabulo isto anquirere, siquidem nos infra monstrabimus ambas notiones etiam apud Ssufios copulatas inveniri e cognata cognatae doctrinae ratione) avulsam esse e gremio Dei, protrusam aestuante cupidine ima vacua petiisse ibique eadem ministrante jacta esse terrarum fundamenta.

Verum enimvero rati non satis esse fac-

tum si tantum ad internam fatalem eandemque nobis obscuram in Deo necessitatem ablegarent sciscitantes, conabantur in rem suam rapere praeceptum vulgare: *Contraria discuntur e contrariis*, eique speciem affingere philosophicam. Nempe discrimen nullum liquere ajebant inter naturam Dei ut in se ipsa est atque inter naturam extra se, nisi Deo opposita sit aliena rerum natura quoad speciem certe diversissima illa ab interna natura divina; in quo quam parum acute philosophabantur nostrum non est detegere. Interea ipse convellit Dschelaleddinus opinionem insulsam, dum arguit *nullum dari Dei contrarium* v. Metsn. T. I p. 75: „Quid est quod Dei sit contrarium, quo possit manifestari? Nonne eam ipsam ob causam, quod contrarium non habet, ab accessu ad eum cognoscendum in aeternum arcebitur propugnator argumentationum?" — Audimus, regerunt alii, sed quanquam eo, quod naturam ei opponere velis quae ipse est, non diminuitur ab ulla parte difficultas *essentiae* ejus

introspiciendae, existere tamen illud potuit, ut dignosceretur post emanationem, quanta discrepet *vita* in conscientia Dei a vita extra eum, in conscientia singulari. Quam sententiam patrocinatur Asisi cod. ms. p. 10: „Sin vero nullo tempore a loco suo se moveret Sol, [1]) sin perpetuo ad eandem le-

1) Indis, Sinensibus, Persis, Graecis Sol almum erat Dei exemplar. Locupletissime de Indis hoc probat caput in Boghavata-Puranis, inscriptum: Dieu comme personifié dans l'univers et dans le soleil v. Catal. des Manuscripts sanskr. par Hamilton. Paris 1807 p. 13 cf. Upnekh. T. I p. 27. Notissimus est Platonis locus in libro de republ. l. VI p. 116 ed. Bip. — Subtiliter de Sole venerando agit *Julianus* in Oratione in Solem. De familia Muhammedanorum Alilahie, quae Solem putat Alium vel potius Alium incorporationem, ut ajunt, solis v. Asiatic. Res. T. VII On the origin and peculiar tenets of certain Muhammetan sects from the Dabistan by Colebrook p. 337. — Niebuhr Reise n. Arab. T. II p. 439 et Rousseau in Archiv

gem radios suos emitteret: nemo sane Solis arbitraretur radios; ex quo id consequeretur quod non agnosceremus discrimen inter pellem et medullam. Quamobrem id scito: universum mundum jubar [1]) esse Dei." — Versatur eodem in argumento, quod fabula valde festiva illustrat, Dschami in Ssubhat olebrär cod. ms. p. 57. „Licet lumen illud unicum brevem temporis moram hanc celet rerum naturam ac quidem e sapientissimo

---

für Kircheng. v. Ständlin u. Tschirner 2. Bd. 2. St. Nasiraeos quoque in eorum numerum recenset, qui Solem divino honore prosequuntur. — Haec hoc loco diximus, quoniam saepissime, si Ssufii de Sole verba faciunt, remota metaphora, simplicer de Deo sermo est, qui item, ut jam in superiori loco observatum, apud eos audit خورشيد معنوي: *die Geistersonne.*

1) cf. in Dessatiro T. I in Dschemschidi, institutione § ۹۳: Uno radio Dei uterque mundus conspicuus redditus est.

consilio, tamen futurum est ut ista rerum universitas, ubi ruet aliquando in privationis statum, in ipso privationis statu particeps fiat mysterii occulti. Tum acriter cernent oculi testantes, tum omnes abscondentur in oceano *essentiae*. Verum haec vita, quid sibi velit e fabula discatis: Prope maris littora solum natale rana aliquando tenebat dies noctesque verborum margaritas perforans (i. e. verba faciens) ob maris virtutes atque praestantias. Animus meus, ita enim garrire solebat, scientiae gemmam ibi assecutus est, corpus meum ingentem fortitudinem adeptum. Quoquo versus aciem meam vertam, mare est, quoquo versus iter flectam, mare est. Quod quum seepius esset a pisciculis nonnullis auditum, adeo capiebantur cupidine maris, ut unanimo consensu decernerent una peregrinantes omnia percurrere donec mare invenirent. Iter protinus ingressi usquequaque circumvagabantur mare quaesituri, sed frustra. Tandem forte accidit, ut in rete piscatorium inciderent. Quid tum? Quum

perpessi molestias incredibiles, postremo tandem e rete sese extricaverant atque semianimes redierant in mare suum, tum oppido bene intelligebant, mare ubi quaerendum esset." —

Qua fabula quid sibi voluerit Dschami non potest esse in obscuro, nempe quia conditi in gremio divino beatitatem suam homines non sentirent, propterea eos esse e coelis in foedam terram, ex absorptione in individuam existentiam detrusos.

Quod superest promunt cum reliquis Muhammedanis argumentum apud nostrates jam pridem explosum de externa, quam ajunt dogmatici, Dei gloria promovenda, quod si audiamus ideo progenitus et profectus est mundus, ut opifex supremus a creaturis digne agnoscatur itemque digne adoretur. Quo facit locus Nessephitae cod. ms. p. 3: „Quum angeli objurgavissent Deum, quod hominem creavisset ingressurum viam perversissimam nefandaque perpetraturum facinora, reposuit

eis Deus: „„Equidem scio quod vos nescitis! — nam etsi homines patraturi sint flagitia ista, equidem tamen e mortalium numero eos probe novi, qui ambulabunt in luce divina.““ — Etenim quum universae naturae finis sit homo: finis hominis est ut me agnoscat; — Eum autem nemo recte cognovit nisi qui in luce ejus ambulat.“ — v. praeterea Metsn. T. I p. 204. „Quid est speculum essentiae? Privatum. Eodem nimirum modo quo est alimenti speculum: esuriens, flammae speculum: adustus. Qui enim poterit sartor artem suam commonstrare, vestimentum sarciendo, quin sit laceratum?“ —

Idemque Dschelaleddinus ap. Hammerum in Gesch. d. p. D. p. 180:

O du der aus dem Nichts ins Daseyn kamst,
Du weist nicht, wie du aus dem Nichts ins Daseyn kamst,
Es schickte dich der Schach als seinen Diener,
Dass du dich selber, dass du ihn erkenntest.

Quaestio altera. Quando condiderit Deus mundum? — Emanationis doctrinam,

dummodo philosophice evolvatur et consentaneo modo, hoc est neglecta auctoritate religionis atque traditionum, necessario aeternum postulare mundum, cuique paulisper his de rebus meditato in promtu est. Indeque factum esse constat ut Plotinus, qui et ingenii excelleret acumine, et religionis vinculis nullis constrictus teneretur, praefracte aeternam emanationem defenderet, quot contra Judaeorum, Christianorum, Muhammedanorum amplecterentur Emanatismum, ii maximam partem sciscerent emanationem in tempore. Indi multum fluctuantes inter utramque assertionem in varias abiisse videntur sententias magnopere inter se dissidentes. Nam dum sacri eorum codices Upnekhatum et leges Menui, gravitate quae potest maxima, mundum in tempore progenitum pronunciant, statuunt philosophorum eorum plurimi ejus perpetuitatem. Qua de re legendum Ayeen Akbari, vertit Gladwin, London 1800 T. II p. 184, quo in libro de aeterna emanatione consensisse dicuntur e philoso-

phis Indicis: Gotam, Konad, Kupel, Patendschil, Buddha.

Jam si de Ssufiorum persuasione quaeris, in proclivi eis erat sic argumentari, ut ad ultimum ad aeternam emanationem descenderent. At vero tam aperte refragari Curano, in quo tam ampla et locuples creationis descriptio promulgata, nec audebant nec si essent ausi, ab omnibus partibus rationi suae accommodatum fuisset. Nihilo secius non omnino deerant inter Muhammedanos, qui vel de isto Curani decreto deflecterent, id quod praesertim in Aristotelicos nonnullos cadit, qui nimio studio magistrum suum sectarentur, quam quod in tam palmario placito diversam ab ejus doctrina sententiam tenere vellent. Quo e genere fuit Tuphailus, qui in *Philosopho Autodidacto* pag 115. „Veluti si corpus aliquod manu tua prehenderis et deinde manum moveas illud corpus necessario movebitur consequenter ad motum manus tuae, motu qui motu manus posterior quoad naturam licet non tempore, sed

uterque simul incipiat, ita totus mundus ab Efficiente hoc absque tempore efficitur et creatur, cujus mandatum est: Esto, et est." — Hanc perpetuitatem mundi, qua non tempore sed natura Numine posterior traditur, propugnat etiam familia Ssufiorum, quam دهريه i. e. Naturalistas [1]) nuncupant v. Malcolm Hist. of Persia Vol. II. pag. 391. — Verum enimvero longe communissima Ssufiorum sententia eâ erat, quae creaturas emanatas statuit in tempore; quemadmodum videmus apud Dschamium in Tohhfat ol ebrār cod. ms. p. 471: „Ille qui secessum mundi arcanorum testis spectavit (i. e. Deus), initio supra eximium pulchritudinis suae splendorem cingulum constrinxit (i. e. solus permansit), speculum arcanorum sibimet opponens, quandoquidem, quidquid praeditum nitore venustatis, ipse apud se haberet. At

1) Nominibus دهريه et طباعيون promiscue utuntur ad denotandos, quos nos vocamus Naturalistas. v. Herbel. Bibl. Or.

vero visus et videns solus erat ille, quum praeter eum nemo spatii amplitudinem emetiretur. Omnia replevit unus ille, tunc binio erat nullus, nemo qui designationem per *Tu* et *Nos* sibi arrogaverit." — et in Ssubhat olebrār cod. ms. p. 55, ubi emanationis delineatio ita exorditur: „In principio Numinis supremi splendor ipsius tantum aciem feriebat, etiamtum essentiam simplicem cum formarum qualitatibus in se inveniebat, occupato scientiae firmique judicii gradu." — Postremo, ne longius abeam, en pronunciatum universi, quod sic de se ipsum loquitur apud Attarum cod. ms. p. 122. „*Equidem perfecte huc progressum aliquando in sedem meam retro pedem sum moturum.* Initio eram unum, unum rursus ero in aeternum, sed in rebus externis commonstrare mihi libuit specimen mei. Manifestavi omnia in memet ipso, meumque simulacrum injeci chao. Hinc fit ut ratio ac mens nulla mei cognitione gaudeant; egomet enim in me sum ipsum, nec ullus alius quislibet." —

Interrogati autem de causa quidni citius aeterna manifestatione se suamque majestatem Deus patefecerit, quidve tam sero demum desiderarit cognosci a creaturis suis, non habuissent sane, quod responderent, nisi quod provocassent ad arbitrium divinum, similiter ut *Rabbi Irira* arbitrio divino se tuetur contra eos, qui mundum infinitum flagitent v. שער השמים Dissert. III c. 7: „Haec autem intellectio naturalis et necessaria, qua intellectus divinus cognoscit potentiam suam infinitam, qua facere posset entia infinita locis et temporibus infinitis, restringitur a voluntate et arbitrio ejus, quia ea tantum producere concludit, quae admirando et occulto suo consilio decernit talia esse, quae produci debeant, quaeque non tantum finita sunt, quoad substantiam, potentiam et numerum, sed et in spatio ipsis assignato et determinato et in hoc temporum ordine essent, ut ante non fuerint. Simul autem intra se praetermisit quam plurima quae producere nec voluit nec unquam volet." —.

Sic

Sic altera nostra quaestione breviter strictimque absoluta ad tertiam transimus, quae, ut omnes fere Emanatismi doctores turbavit, ita longe difficillima est et aculeatissima. Igitur, qua ratione quoque modo emanatio evenerit primum edoceamur ab Asisio cod. ms. p. 14: [1]) „At vero Solem, quem in coelo fulgentem, salva oculorum acie, contueri nequis, quidni malueris in aquis contemplari, servato omni ejus fulgore? Quod idem valet de Deo. Privatum ubi essentiae opponitur, e vestigio lumen repercussum vides a Privato. Quod quum item olim esset factum, evenit inde ut ex unione natura multiplex prodiret eo videlicet pacto, ut Unus ille, ubi eum numeras, multi videatur. Nam numerorum etsi Unio principium sit atque caput, terminum tamen numerus habet nullum. Quum Privatum, quoad na-

1) cf. Dessatir T. I § 10 „Mundus ceu radius nec est a Deo ceu sole substantiae sejunctus, nec potest sejungi.“ —

turam suam purum esset, in apricum inde prodiit thesaurus absconditus, quod arcanum quo clarius perspicias legesis traditionem prophetae: *Thesaurus fui absconditus.* — Privatum est instar speculi, cujus lumen repercussum mundus. Age! Exemplo utamur idoneo! Oculus si oculum resplendet, oculus resplendens *tuus* est, oculus repercussus *oculus Dei;* ex quo efficitur ut qui oculum adspexerit non possit quin adspectum (sc. oculum, puta: Numen) simul cum oculo viderit. Ita homo factus est mundus et mundus vicissim homo, unde in expedito est, verum si quaerimus, adspicientem sibimet ipsum fieri rem adspectam." — Cui Asisianae expositioni subjungimus Dschamium in Tohhfat ol ebrār cod. ms. p. 47 de emanatione hujusmodi perorantem: „Ille qui secessum mundi arcanorum testis spectavit (i. e. Deus) principio supra eximium pulchritudinis suae splendorem, cingulum constrinxit, speculum arcanorum sibimet opponens; quandoquidem, quidquid praeditum nitore venustatis, ipse in

se haberet. At vero videns et visus solus erat Ille, nam praeter Eum nemo spatii amplitudinem emetiebatur. Omnia replevit unus Ille, tum binio erat nullus, nemo qui designationem per *Tu* aut *Nos* sibi arrogaverit. Nondum neque scalpello calamus creationis, neque calamo tabula creationis laesa erat; neve thronus Dei pedem super caput sedis divinae posuerat, neve ratio (mens) miraculorum perscrutandorum studium fovebat. Coelum, quod mille habet aditus et exitus in unius puncti plica condebatur. Necdum firmamenti filo astra erant inserta, neque terrae superficies hominem gestabat. Semen paternum intra angusta spatia ab utero materno includebatur, quibus in cunabulis creationum infans consopitus jacebat alto Non-existentiae (عدم) somno. At oculi testis Illius (i. e. Dei) spectabant Privati naturam, Essentiae simulatque Privati veram conditionem. Quamvis in suae ipsius essentiae summa venustatem conspiceret dignitatum et qualitatum, desideravit tamen ut ex aliis speculis caderent

sub adspectum suum; idcirco resplendentem cernimus faciem quamque unam e qualitatibus divinis. Itaque creatus est animans mundi hortus cum rosaceo temporis spatiique calyce et e ramo quovis, flore, folio et fructu novam venustatem splendor Ejus civit. Praeclare αὐταρκειαν Ejus cupressus monstrat, splendorem rosa. Labiorum divinorum saccharum calyx rosaceus praedicat, demta serra a gemmarum Ejus capsula. Ac rosa ipsa, Deum immortalem! musci humidi vigore tincta, mollium genarum divinarum suavitatem repraesentat. Quid de zephyro dicam, qui inquietam amore agitatorum cincinnorum fluctuationem ostendit? Et narcissus oculo arguto ebrios Ejus ocellos spectans ebriorum consuetudinem imitatur avidorum potus matutini. Ecce palumbem torquatum gestantem torquem desiderii cupressi! Insedens cacumini cupressi dilectae, amoris modulamine nemora personat. Ecce philomelam, ut vixdum rosam conspicata longas voces in fletum ducit, rosae arcana simul re-

tectura. Viden' perdicem, quae, ut primum in lucem edita, pedem, nonnisi demisso capite, imponit culmini graminis. [1]) Audisne turturem incensum amore buxi, spreta laetitia, alto de corde gemitus emittere? Quid denique, quod narcissus, quando luscinia primis aurorae luminibus dulces variat lusus et quaerelas, sensim sensimque consopitur, oculis blande conniventibus? Quid quaeris? Ubi altera parte emergit venustas, altera evigilatur amor. Si e genis faciei roseis pulchritudo nitet, eadem flamma rosea incendit amor praecordia. Si pulchritudo in cincinno sedet non amplius agitato, amor protinus cincinno cordia irretit. Si pulchritudo e labiis fulget saccharo dulcius subridentibus, actutum dolore amoroso implet amor pecto-

1) Perdix amore graminis capta metuit ne fortius calcandis herbis laedat amasium; ideo carpit graminum culmina agiliori gressu! — Quam bellè his imaginibus poeticis toti rerum naturae vita infunditur cum amore! —

ra. Per Deum immortalem! Non est pulchritudinis fomentum nisi amor, quapropter illa nunquam se disjungit ab amore, quippe cum quo arctius est conjuncta, quam animus cum corpore. Quemadmodum gemmae fodinis innatae inhaerent visceribus terrae, ita in pulchritudine inhaerescit amor. Ideo hic illi junctus, nec unquam ambo passi discessionem. Imo vero nobis universis eatenus tantum licet vita perfrui, quoad sumus pulchritudinis atque amoris participes, neque libertatem quaerere nisi in vinculis eorum." — Elata profecto et graphica descriptio! Paullo dilucidius eadem ab eodem Dschamio res depingitur in Ssubhat olebrār cod. ms. pag. 55: „In principio Numinis splendor ipsius tantum aciem feriebat, etiamtum essentiam simplicem in se inveniebat; omnia a maximo ad minimum in se conspicabatur, suaeque veritates (i. e. ideae, quas Cicero species vocat) imagines fiebant mundi. Quae veritates splendorem e divino gremio refulgentes mundi auctores exstitere multiplicis naturarum indi-

viduarum. E lumine quoque, dum repercutiebatur a speculo essentiae, prodiit essentia unius naturae individuae, earum videlicet naturarum, quae (venia sit verbo) individualisationes divinarum sunt qualitatum. Ac primum quidem repetitis repercussionibus gradatim producti animarum spiritus; deinde absoluturus patefactionem suam apud animum suum constituit Deus in terrarum orbem spirituum plantare simulacrum. Atque id ipsum etiamsi in sensuum sit et squaloris regionem delapsum, nihilominus sensuum cupro splendorem auri impertivit." — Quibus locis, quae subsit dogmatica sententiarum vis, aegre nequimus elicere nisi detractis antea integumentis, quibus oratio profanis oculis celatur atque occultatur, metaphoricis atque symbolicis. Hinc triplex nobis quaestio exsistit, primum quid sit Privatum e quo perhibent omnia prodiisse, tum quid senserint de formis, quas dicunt Privato tributas, postremo utrum Materialismi fuerint patroni an Idealismi? —

Ac primum quidem, quod ad Privatum attinet, neminem arbitramur fore cui, vocabulum hoc consideranti, in mentem non veniat Plotiniani μη ὂν, ita ut Ssufiorum Privatum ad similem videatur rationem confictum. Verumtamen magnopere errat, qui putet nullam aliam a Ssufiis isti voci subjectam notionem esse, atque Fluddanam aut Neo-Platonicam. Nam Fluddus et Platonici eo tantum respectu, ille Nihil, 1) hi μη

1) Docte super Fluddana de materie sententia disseruit Gassendi Op. T. III. Examen philosophiae Fluddanae P. I p. 218: „Quod ad creationem cave eam productionem ex Nihilo intelligas. Quanquam enim Fluddus verba Mosis usurpat, symbola tamen ei omnia sunt. Generationem cujuslibet rei in tantum dicitur ex Nihilo esse, in quantum est e tenebris seu materia, quae ipsi appellatur Nihil.“ v. Moshemii dissert. de creatione ex Nihilo p. 980 ad calcem Cudworthi. — Observandum tamen est Fluddum Platonicorum, Cabbalistarum, Rosae-

ὄν.[1]) materiem vocabant, quod careret qualitatibus omnibus quibuslibet, contra Ssufii,

---

cruciorum commentis tam turbatum fuisse undique, ut raro certa staret sententia. Ideo sibi ipse repugnans in alio loco p. 15 in *Medicina catholica* 1631 Francof. de Deo dicit *in latente et aperta* dispositione; quo sumere videtur in Deo positionem et negationem. —

1) Cunctis quidem qualitatibus Plotinus materiem privat, quin etiam exporrectione, solamque tuitur mundi causam: praesentiam δυναμικὴν rerum universarum in intellectu divino; nihilo tamen minus diffidendum est Idealismo ejus. Etenim quanquam inter argumentandum vel originem materiei in Numine collocat, magis constantiae consentaneae causa hoc factum videtur, quam persuasione. Namque non *Nihil* sed ὑποκείμενον materiem pronunciat cum alias, tum Ennead. l. IV c. 12: „ἐστὶν τοίνυν ἡ ὕλη οὐ κενὸν ὄνομα ἀλλ' ἔστι τι ὑποκείμενον καὶ ἀόριστον ὑπάρχον καὶ ἀμεγέθες." — Quam paucos proinde habemus praeter Eleaticam disciplinam germanos in antiquitate Idealistas!

ut videbimus infra, sine ambagibus declarant Privatum nec materiem esse, nec locum materiei. Non est igitur, quae hoc in placito cum Ssufiis in aequo ponatur, secta ulla nec philosophorum nec theosophorum. Prima quidem fronte apprime cum eis concinere videntur Gnostici Valentiniani, utqui πλήρωμα divinum τῷ κηνώματι prorsus eodem modo opponunt, quo Ssufii τὸ *kedem* (aeternam essentiam) τῷ edem (Privato), lucemque divinam ab illo in hoc defusam tradunt; at quum Valentiniani quoque materiem inordinatam in κενώματι collocarent, in aperto est similitudinem non excedere ultra nominum quandam aequalitatem.

Usque adeo enim processerunt Ssufii in materie neganda, ut Asisi affirmare non dubitet Deum eo, quod mundus ex ipso provenit, ne minimam quidem mutationem subiisse, v. cod. ms. p. 69: „Omnia aeterna utique sunt, fortuitum (mundus fortuitus existentiae divinae opponitur aeternae) enim

miraculosae Gryphi [1]) haud absimile; excepto nomine Dei nomina quaevis carent nominato. Num quaeso Privatum fieri Essentia potest? Minime vero; Privatum non magis unquam fieri potest Essentia, quam Essentia Privatum. Essentia in perpetuum manebit *Esse*, neque unquam ei licebit statum mutare cum Privato. Quod ubi prorsus percepisti, jam cernes paullo clarius. Tota videlicet rerum universitas est imaginaria, praeter unum illud punctum in gyro circumagitatum. Vin' hoc ipse tibi comprobare? agedum! circumgyra punctum igneum et prope est, ut agitari opineris circulum. Sin vero dubium tibi videtur, hanc rerum universitatem nihil amplius esse quam fraudem imaginariam, hoc unum reputa, numquid fieri possit, ut existat simul cum unione binio? Etenim

---

1) De qua habet Nuweiri proverbium: معروف الاسم مجهول التجسيم „nomine nota, re desiderata" — v. beati de Diez Denkwürdigkeiten, T. III p. 683.

ne Privatum quidem fuit multiplex, sed fere aeque simplex atque Essentia; proinde rerum multitudo non tribuenda est nisi rationibus alius ad aliam variis. Per Chamaeleonem mundi possibilis [1]) varietas illa et multiplicitas efficiebatur. Aliquando autem, sic enim in fatis, omnium universorum hominum nec non rerum essentia, quippe omnes gaudent illa eadem essentia, spectatura est Unitatem Dei." — Quo cum loco congruit ille apud eundem cod. ms. p. 47: „Materies sine accidente caret realitate, id certum est; quid autem valet accidens, quod vix duo restat momenta? Nihilominus tamen nescit philosophus, petita materiei definitione, aliter se expedire, quam accidentibus exponendis, definiens v. g. per longitudinem, latitudinem et profunditatem. At per Deum! quid

---

1) Sic mundus appellatur respectu ad Deum tanquam aeternum et *necessarium* rerum omnium fontem. Agit de hac distinctione copiose Asoddin cod. ms. p. 3 sqq.

aliud est hyla هيولى nisi Privatum absolutum, in quo imagines speciesque variae effictae? Idcirco, quum vel imaginibus (sive formis) ornatum merum Privatum sit, quae potest ei realitas competere, etiam imaginibus demtis? Quamobrem quoquoversus te verteris, sive accidentia spectaveris sive materiem, infitiari nullo modo poteris, quandoquidem nec materies habet realitatem nec accidens, omnia merum esse Privatum. Acriter modo et intente perscruteris quidditatem quamlibet, certo neve Privati particeps tibi videbitur neve essentiae. De quo autem noli mirari. Nam spectata per scientiam mysteriosam non modo quidditas illa, sed universa hujus mundi essentia, ubi unum Numen divinum sustuleris, Privatum est. Essentia, qua est praeclara indole, quaquaversus vagatur, hinc evidens est, visus illos qui oculos nostros saltem videntur ferire, meras esse imaginationes; atqui imaginatio caret existentia, nam una est res numerata, numeri plures: ergo universae rerum naturae metaphorica tantum

existentia est, omnia ludibrium videntur joculare." — Jam quum utroque loco efficiatur ut appareat neque materiem vocari Privatum, neque esse omnino materiem, quapropter Privatum ne locus quidem materiei esse potest, restat ut putetur aut *spatium infinitum* eis Privatum esse dictum, aut absolute *τὸ extra Deum*. — Alteri vero conjecturae statim ab initio difficultas occurrit, Ssufiis judicibus, tempori et spatio locum nullum esse nisi simul cum mundo; id quod sibi Dschami vult versu laudato: „Mundi hortus cum rosaceo temporis spatiique calyce creatus est." 1) — Effloruit itaque rosa-

1) Velim edocear quid sibi voluerit auctor libri cabbalistici צְנִיעוּתָא qui in § 5 הַאי מַתְקְלָא תְּלֵי בַּאֲתַר דְּלָא הֲוָה: Est quidem codici uni adscriptum עֲרִיקָא, sed hoc, si quid video, ineptum. Equidem putaverim, Cabbalistam voluisse spatii notionem removere, proinde cultioris eum judicii fuisse Rabbino Lorja et aliis.

ceus spatii calyx in horto mundi, quod idem plane valet ac si poeta dixisset: necesse erat, cum mundo ipso oriretur complicata temporis spatiique notio (hoc enim denotat calyx foliis complicatis). Quo ultro accedit, ne causam quidem fuisse, cur spatium postularet mundus imaginarius. Ex quibus omnibus extremum illud est, ut Privatum sit: τὸ *extra Deum.* Hic autem in proclivi est observare a Ssufiis, qui Deum [1]) et probabiliter etiam mundum suum imaginarium a temporis, spatiique notionibus exemptum vellent τὸ extra Deum non esse pari ratione acceptum atque a Cabbalistis; nam hi vulgo parum subtiliter de contractione loquuntur Dei צמצום replentis spatium infinitum, quo vacuum redderetur finitum spatium אויר קדמון, ubi mundus construendus erat. Quam opiniunculam insipidam R. Lorja exponit in Irirae שער השמים Dissert. III. c. VII § 3:

[1]) v. Nessephitam Turcam, cod. ms. p. 27.

„Numen infinitum extenditur ad omnia loca imaginaria et possibilia eaque implet luce vultus sui. Quum autem voluerit manifestari et producere naturas restrinxit et constrinxit et quasi coarctavit se a se in se ipsum et sic reliquit locum quendam inter infinita illa spatia, quae antea replebat, quem implere possit, prout et implevit illis entibus, quae intra illum produxit, ita tamen ut et ipse illuc extenderetur et ibi manifestaretur prout ante istorum manifestationem.“ — Idemque legitur in Etz Chajim Ozeroth Chajim, sectio: Adam Kadmon. — Ssufii nil tale. — Duplex ratio praesto est, quo notionem τȣ extra Deum capias, vel cogites de rebus segregatis spatio a Deo, vel meram intelligas Numinis negationem. At illa opinio quum rudior sit, quam cui adstipulari potuerint Ssufii, manifestum est atque perspicuum tunc demum genuinam exsistere Ssuficam sententiam, si ponatur Privatum meram notare negationem Dei. Quam notionem esse subtilissimam nullus nego. Quid autem quod inter Gnosticos, jam

jam recentes ab aetate Salvatoris, erant, qui inciderent in subtilitatem haud absimilem, periclitati vulgare Valentinianum de cenomate et pleromate scitum ita emendare atque elimare, ut in suam quidem rationem optime quadraret, prorsus autem nativus ejus sensus expungeretur. V. locum notabilem apud Iren. l. II c. IV, quem magister meus summe reverendus doct. *Neander* in Entwickel. der gnost. Systeme p. 226 attulit. „Statuebant, ait Irenaeus, continere omnia patrem omnium et extra pleroma esse nihil, et id quod extra et id quod intra dicere eos *secundum agnitionem et ignorantiam, sed non secundum localem distantiam.*" A quo conamine non alienum est interpretamentum Irirae perspicacius pronunciati istius, quod ex ore R. Lorjae laudavimus, de Adamo Kadmone (quem eundem אויר קדמון sive spatium primum seu finitum dicunt) quasi per spatii discrimen ab Ain Soph (i. e. Deus Infinitus) sejuncto. Sic enim Irira vir non mediocris judicii in שער השמים Dissert.

VI. c. VII. § 4. „Per spatium autem quod semper remanet inter Ain Soph et Adam Kadmon, denotatur essentia ista, propter quam diversus est et remotus a perfectione causae suae; contra vero accedit et assimilatur spatio, sive nihilo ex quo productus est et existentiam accepit. Sciendum enim omne ens quasi componi e contrariis et negatione, vel ex eo quod accepit et quod non accepit." [1]) —

Jam quod hic Privato a Ssufiis opponitur, τὸ kedem قدم, jure factum est, nam in arabico sermone قدم denotat *aeternitatem*, in chaldaico קדמא [2]) et in samari-

1) Quibuscum cf. Dissert. V c. IX § 3 ubi Deum eo se ipsum negasse tradit, quod, quidquid in se ipso esset infinitum, rerum universitati finitum dederit atque ita privaverit suam ipsius essentiam.

2) Verentur Rabbini ut vox קדמון ne perinde aeternitatem Dei significet, ac significari volunt; quod idem cadere dicunt in vocem

tano [illegible] *principium ante res creatas*, ità ut appareat eos hac voce expressisse quod nos vertamus: *das Ur*, nunc vero cavendum est ne τὸ عدم reddatur: *die Zeitlichkeit* vel *das Chaos*, sed verterim citius simpliciter: *das Nichts*.

Hactenus ex Asisio potissimum exposuimus placitum de materie et Privato. Interea, licet alii Ssufii longe minorem curiositatem et diligentiam adhibeant utqui minore sagacitate praediti, nullo tamen modo enunciata si apud eos invenirentur, Asisianis con-

---

ראשון et נצחי v. More Hannev. P. I. c. 57 et Liber Cosri, pag. 46. Quare Deum appellant קדמון מוחלט v. Liber Nizzachon p. 100, auct. R. Lippman. Ac revera carent Hebraei vocabulo, quod plane nostro: *Ewigkeit* respondeat. Suum בראשית idem valet quod Graecorum: πρὸ καταβολῆς τȣ̃ κόσμȣ. cf. Prov. 8, 23 in vers. septuagintavirali, et Hottingeri viri immortalis Dissertat. Philologicae, Heidelb. 1660 p. 322.

traria, negligenda essent. Jam veniet fortasse aliquis, Asisianae de materie sententiae illud oppositurus Dschamii: „Semen paternum, intra spatia angusta, ab utero materno includebatur, quibus in cunabulis jacebat alto nonexsistentiae عدم somno consopitus, creationum infans.“ — Hinc, nemo non intelligit, elici potest sexuum vim potentialiter conditam fuisse in materie nondum formata, quod si concedis simul id efficietur adfuisse jamjam in chao materiem ante creationem mundi. At ut alias complures interpretandi rationes omittam, quibus admissis, evanesceret subinde difficultas, sat est observare, vocibus آبا et أمّهات notionem e mystico usu dicendi prorsus insolitam subjiciendam esse, quam suppeditavit Nessephita cod. ms. p. 43: „آبا et أمّهات i. e. *patres* et *matres* dicuntur stellae, coeli, elementa et naturales qualitates.“ comprobavit Persa Firus Bin Kaus, editor Dessatiri persaepe voculam illustrans, ubi in textu obvia est. Liquet ita-

que locutionem istam Dschamii ad ornatum tantum poeticae orationis adhibitam esse, siquidem scriptori sermone pedestre utenti simpliciter scribendum fuisset: coelos et elementa etiamtum adhuc nulla exstitisse.

Tantum dictum sit de Privato et de materie; venimus nunc ad explicationem formarum, quibus instructum atque exornatum ferunt Privatum.

Si quaeris quaenam invaluerit aetate illa apud majorem Arabum Judaeorumque doctorum partem circa formas sententia, reperiebantur pauci, quin Averrhoi auctoritatem sectati essent tradentis ex elogiis ut putabatur Stagiritae, latuisse formas potentialiter in materie jam inde a principio, latere ibidem etiamnum atque id tantum potestatis divinae esse, ut eas illinc ad actum cieat evocetque ad operandum. Quae Dei tantilla operatio, quin Ssufiis exilis atque abjecta videretur, fieri non potuit. Materiem enim nullam agnoscentes non formas solum sed omnes cujuscunque generis causas ad Deum re-

ferre malebant. Sumserant igitur aliunde, quibus hanc doctrinam superstruerent, elementa idonea sibique accommodata.

Vetus erat gentium ad Orientem sitarum persuasio Deum, quia, ut in se est, a nulla aliarum quarumlibet naturarum mente contrectari potest atque comprehendi, propterea se; quid enim aliud dicam, quasi dispertivisse in singulas virtutes suas atque qualitates, ita ut, cujus alma essentia nunquam non occulta maneat naturis inferioribus, ejus saltem per qualitates suas augurium quoddam animis concipiatur et anticipatio. Apud Indos, Aegyptios, Graecos aperta quidem talis doctrinae vestigia desiderantur, sed, ni omnia me fallunt, subest eadem universo cultui plurium Deorum, colentibus Paganis, Deorum singulorum nomine, singulas quasque summi Numinis virtutes. Nos illis demum saeculis, quibus omnes denuo efflorescerent inveteratae Orientalium populorum superstitiones, hanc quoque doctrinam invenimus, ejusdemque varias formas, quas tunc

assumsit, strictim hic persequi placet. Philonis expositio haec erat: Ὁ ὢν, qui per se ἀνονόμαστος, μυριάς ἀκτίνας ἐκβάλλει quibus se manifestari vult, suasque δυνάμεις usquequaque diffundit. Hae velut nomina naturam Numinis describunt, quapropter ὁ λόγος, omnes complexus divinas virtutes, earumque quasi metropolis, et ipse audit ὄνομα τοῦ θεοῦ et πολυώνυμος. — Gnostici varii varie componentes et edolantes hoc idem dogma consentiebant fere cuncti in dispensatione Numinis in virtutes suas (διάθεσις τοῦ ὄντος). — Cabbalistae itidem tradebant de אין סוף Numine infinito, quod, instituta sui ipsius dispositione (תקון), essentiam suam exhiberet in signis (סימנים σημεῖα), quae eaedem aliis appellationibus egregie rem illustrantibus vocabantur etiam: Sephirae, numeri, mensurae, nomina. [1])

---

1) cf. inprimis Idra Rabba Sect. III § 36 et § 37 et Idra Suta Sect. I § 46: „Senior ille

Jam quum semina antiquae hujus Orientalis theologiae, per tot saecula servatae, per tot regiones profectae, pertinuissent usque ad Ssufios, *et* quoniam sic emanationis decretum optime adjuvabatur, *et* quod ratio non deerat qua placito ad orthodoxam Muhammedanorum disciplinam conformato, malevolorum criminationes repelli poterant, tam scite in suam texturam a Ssufiis recipiebatur ut vix possint antiquioris doctrinae stamina agnosci. Quae enim Numinis virtutes singulatim exputabantur a Cabbalistis et Gnosticis, vero etiam ab illis obscurius ab his clare declarabantur hypostaticae, eas Ssufii exhibebant summatim et quasi ad universam rerum naturam pertinentes; quae porro Dei διαϑεσις a Cabbalistis et Gnosticis creatione prior posita erat et necessaria,

---

lucerna est occultissima, nec invenitur, exceptis illis radiis, qui extenduntur revelanturque et *propterea omnia sunt unum.*" En apud Rabbinos quoque: τὸ ἓν τὸ πᾶν!

eam Ssufii statuebant arbitrio numinis actu factam et simul cum creatione mundi.

Nomina formae tributa metaphorica sunt apud Ssufios. Tamen ne philosophica quidem formarum denominatio alius naturae est. Usurpant Aristotelici vocabulum صورة, et Judaeorum philosophi consonans hebraicum צורא, cujus nativa notio: imago. — Asisi et Dschami in Ssubhät ol ebrär entia singula producta esse tradunt a singulis *luminibus* divinis repercussis, alibi autem nominantur res: aut *splendores* Dei, aut *nomina* Dei, aut *qualitates* seu virtutes Dei. Sed ne unam quidem has inter metaphoricas locutiones reperies, quin jam apud veteres in usu veniat theologos Orientales. Dicamus primum de nominibus Dei. Vidimus apud Philonem λογον Dei ὀνομα τȣ̃ ϑεȣ̃ audiisse, vidimus quae Philo et Gnostici habent de *radiis* (ἀκτινες) et *virtutibus* (δυναμεις) Dei emissis; apud Cabbalistas Adam Kadmon (aut mundi creandi prototypus aut,

Iriram si sequamur, spatium primum)' dictus est: nomen Numinis; item τα σημεῖα סימנים sic appellantur. Indi denique mundum: nomen et figuram Dei nuncupant v. Upn. T. I. p. 394.[1]). Hinc facile est intellectu, cur in his omnibus Theosophorum scholis Deus summus judicetur ἀγνωστος και ἀκατονομαστος, nec nisi per θεον δευτερον utcunque cognoscendus, in quibus attributis divinis negandis [2]) tam

---

1) Nec hoc minus recte. Etenim quamdiu qualitates latebant in Deo ipso, tanquam nomina erant, essentiae suae naturam quodammodo exhibentia, iisdem autem translatis sive in mundum prototypum sive in mundum realem, non majori jure mundum prototypum vel hypostaseon coelestium Nomen Dei dixeris, atque hunc inferiorem orbem.

2) Vexabat idem scrupulus Rabbinos intelligentiores v. R. Lipman Nizzachon p. 85, 87 et egregium ingenium Maimon. in more Hanev. l. 1. c. 61. Laudat locum scripturae: ביום ההוא יהיה י״י אחד ושמו אחד et vult

parum aliqui e Neo-Platonicis sui compotes erant, ut τὸ ἓν denique in merum οὐδὲν contabesceret. [1]) — Quod ad Ssufios id tantum peculiare habebant, quod, hypostaticarum naturarum figmentis reprobatis, mundum ipsum declarabant Deum alterum, utpote qui clarissime ostendat et prae se ferat majestatem quae in Deo est. Hoc illud est quod scribit Dschamius in exordio libri Tohhfat: „Tu Deus sine nomine, sine signo! nam officiosus permittis aliis nomina [2]) et signa

---

inde efficere solo existentiae essentialis attributo praedicandum esse Deum, quare Tetragrammaton aptissimum, nam, addit, ليس عندنا שם غير مشتقّ الّا هذا ☼

1) Legimus, mirum dictu vix primis Neo-Platonismi rudimentis positis, in controversia versatum esse Plotinum cum Origene philosopho, cui negatio videbatur τὸ ἓν attributis omnibus spoliatum, v. Proc. theol. Platonica II 4.

2) Adstipulatur Persae Sinensis Lao-tse,

omnia. Altum et humile tua benignitate plenum, altum et humile pariter ex te originem trahunt." — et Dschelaleddin in Metsn. T. II. p. 235.: „Externa species atque forma tanquam cortex et liber est, a quo substantia conditur ceu medulla, noli igitur de nomine curare! Attendas ad qualitates ut ab eis ducaris ad essentiam. Tum in eam immersus obliviscere nomina propria, videbis enim bonum et malum idem esse, siquidem omnis hominum controversia exinde oritur, quod plus curant de Nominibus, quam de Mana." — Huc etiam egregie facit locus lau-

---

qui in libro Tsing-tsing-king i. e.: Liber Summae Puritatis haec docet: „Magnus Tao nullum nomen habet, tamen ipse omnes res producit, verum ejus nomen ignoro." v. De Guignes in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XXXVIII p. 309 et Indus, referente P. Vicentio a S. Catharina Viaggio all' Indie orientali, l. 3, c. 17 p. 283: „Si domandi qual sia il nome di questa prima causa, dicono che non ha nome." —

datus a clarissimo S. de Sacy in recensione libri: Definitiones Dschordschanii. v. Extraits des mss. Vol. X. p. 156: „Les Sofis disent que chaque temps est le tour de la manifestation de la puissance d'un nom (divin), quand le tour de ce nom est fini il se cache sous un autre nom, pour lequel est venu le tour de la denomination.“ — Neque designationis hujus lineas primas Scholastici ignoraverunt; in quorum libris et disciplinis constituitur discrimen inter الأعيان الثابتة atque الأعيان الخارجة simili modo atque a Ssufiis discrimen inter nomina intra et extra Deum. Istius vocabuli definitionem scholasticam hancce memoriae prodidit Dschordschani, cujus epitomen dat ill. de Sacy l. l. no. 155: „Quod Scholastici vocant الأعيان الثابتة sunt realitates rerum, dum insunt scientiae Dei, hae sunt imagines realitatum nominum divinorum quoad exsistunt in scientia Dei, nec tempore eas cogites Numine posteriores, sed solummodo quoad essentiam.“ —

Quod porro ad alteram Ssufiorum metaphoram attinet, qua maxime describunt formas rebus inditas et impressas, luminum repercussorum, nescio num alia ulla tam idonea sit ad rationem significandam rerum emanatarum ad fontem suum, a quo sine ulla intermissione vitam novamque lucem accipiunt τα ἀπαυγασματα. Ideo etiam tam frequens est apud Cabbalistas, ubi exstat cum locis obscuriusculis Idra Suta III § 108 et Idra Rabba Sect. VIII § 126, tum in loco principali Idra Rabba Sect. V § 56: ומהאי גולגלתא נפיק חד עיבור חוור לגולגלתא דזעיר אנפין לתקנא רישא ומהאי לשאר גולגלתין דלתתא דלית לון חושבנא: וכל גולגלתא [1]) יהבון אגר [2]) חיוורתא לעתיק יומין ו"ג

---

1) Pro יהבון אגר alias diserte legitur בטש *reflectere* v. Idra Rabba, Sect. VIII §. 126

2) חיוורתא: albedinem nihil aliud esse, quam lucem, ostendit etiam: ס"א אורא אותא alius libri lectio, qui ponit: lumina.

„Et ex illo cranio egreditur tractus quidam albus versus cranium Microprosopi ad conformandum caput ejus et ex illo ad caetera crania inferiorum, quorum nullus est numerus; et omnia crania reflectunt albedinem versus cranium Senioris.“ —

Praeclare haec metaphora illustrat tanto conditionem rerum ut divorum finitorum conditione infiniti Numinis inferiorem esse, [1]) quanto solis ab aquis reddita species sole ipso, neque magis posse *in se* aut *per se* naturam rerum et mortalium genus exsistere, quam solis faciem in aquis, sine sole in coelis. [2])

1) Id aliqua quidem ex parte verum, sed re altius indagata atque explorata nequit non apparere homines et res, utpote immanentes soli Deo, non differre ab Eo, in quo sunt. Nec potest neve veterum neve recentiorum doctrina de Immanentia rerum a Pantheismi nomine aliena esse.

2) cf. locum Cabbalisticum de mundo Idra

Quod idem decretum manu quasi ad opinionem ducit, accidentia qualiacunque intereunda esse momento quoque ac protinus denuo creanda ab opifice summo, quod qui probatur judicet etiam oportet perversius esse nihil Philosophorum sententia: ex qua sequitur perpetuam quandam Dei esse institutionem formarum, ita ut nunquam non intereant sed per generationem creentur et propagentur. Illam enim de formis perpetuo intereuntibus sententiam tuebantur Ssufii, ex quibus Asisius noster cod. ms. p. 63: „Uno temporis momento mundus dici potest universus, sed duo momenta non manet. Alius subinde mundus nascitur, unoquoque temporis articulo novum fit coelum, nova terra, nec tamen ulla novorum mundorum pars duobus mo-

---

Rabba Sect. IX. § 136: תָּאנָא אִי עֵינָא דָא אִסְתִּים רִגְעָא חֲדָא. לָא יָכְלִין לְקַיְּמָא כֹּלְּהוּ „Didicimus: Si oculus iste claudatur uno momento, non poterit consistere quidquam." —

momentis diutius restat. Quo temporis momento nascitur, eodem et obit orbis terrarum, momento quoque hic juvenis senescit, momento quoque resurrectio ei praedicatur," — et Dschelaleddinus in Metsn. Tom. I. pag. 75: „Verbo (i. e. jussu divino: esto!) forma producitur, at e vestigio interit, retrahente mari fluctus suos. Ex non-forma forma prodit, at subinde fatum ei acclamat: *Ad Deum redituri sumus* (verba Curani)! — Quid moror? Muhammedes ipse dicto illustri: *mundus momentum manet!* nos edocuit momento unoquoque instare mortem, iterumque denuo reditum. — Facultas nostra cogitandi telum est, a Deo in aëra immissum, *qui autem potest pes aegrotus ad Deum pervenire?* — Temporis quolibet articulo mundus perinde ac nosmet ipsi novus fit, licet opinetur se mutationi non subjectum eundem semper manere. Puteo [1] conferenda vita est, in quo accrescunt sine intermissione

1) Germanum est elogium Cabbalisticum Idra

novi fluctus, etiamsi semper eadem manere videatur aquarum moles. Eadem motus celeritas causa est, quod punctum igneum si rotatur in orbem assumit figuram circuli, ramusque igneus velociter agitatus longam quandam ignis speciem praebet, soli adscribendam agitationis celeritati. Cujus mysterii indagator, si est sapientior, aggrediatur Hussām oddinum [1]) virum fama inclytissimum." — Quod placitum etsi haud dubie philosophis nostratibus bene insulsum videbitur, ex intima tamen Muhammedanismi atque in universum Orientalis ingenii ratione profectum est, cui quam maxime repugnet notio φυσεως vim suam creatricem atque vicissitudinum opificem et in se ipsa condentis et ex se ipsa ad-

---

Suta Sect. VIII. § 245: וְהַהוּא נָהִיר וְנָגִיד וְנָפִיק אָקְרֵי עַלְמָא דְאָתֵי תָדִיר וְלָא פָסִיק׃ „Est iste fluvius, qui manat et exit, qui advenit semper nec unquam cessat." —

1) Hic magister fuerat Dschelaleddini, quem summa semper pietate colebat.

operandum excitantis; quo scilicet vaferrime suspendatur et sustollatur Dei gubernatio. Inde factum est, quod acutissime vidit Maimonides, in More Hannev. ed. Buxt. Basil 1629 p. 155, ut etiam Scholastici Arabum eodem illo placito contra Naturalistas [1]) uterentur. In luce ponunt Ssuficam opinionem ratiocinia scholastica, quae ideo indidem e capite septuagesimo libri tertii verbis Maimonidis proponere juvabit: „Nullum accidens manere duo momenta, Deum cuique substantiae accidens creare, eodem autem momento, quo creetur, protinus intereundum ac secundo momento procreandum denuo —.

1) طباعيون. Sic quoque invehitur Dschelaleddin Mets. I. p. 129 in philosophos, qui arborem per se aeternam putant: „Dicunt Munkirân (qui principia religionis negant; Glossa: Philosophi) arborem esse aeternam. At quis est, qui tale velit dedecus in Numine admittere? Eorum utique coecitas interna est, o amici! nam Deus solus arbores producit.“ —

l. l. p. 155: Quando homo moveat calamum, hunc moveri nequaquam ab homine, sed calami motum accidens esse a Deo in manu moventis procreatum, interea Deum hanc consuetudinem tum demum servare quando motus manus accedat ad motum calami, manui contra per se nullam plane inesse actionem vel causam calami movendi: accidens enim transire a subjecto ad aliud.“ — Quibus de argutiis emunctae naris Judaeus: „Meo judicio de istiusmodi opinionibus dici potest: An sicuti illuditis homini, illudetis Ei? Job. 13, 9. Nam revera hoc nihil aliud est, quam ludere.“ —

Nunc vero explicatis sententiis de Privato ac de formis, nihil est negotii dijudicare utrum Materialismum amplexi sint an Idealismum. Quotus enim quisque est, qui jam dubitare velit de Idealismo Ssufiorum, quum formas soli Deo tribuant, quum negent materiem, quum nullum denique rerum ὑποκειμενον relinquant? — Idealismi autem genus duplex est. Alterum, quod Orientale dixerim

aut objectivum, vi quadam divina (ἐνεργεια) extrinsecus operante speciem materiei effectam docet, alterum, Occidentale aut subjectivum, universum rerum ordinem informatum praecipit animo eique mirifico modo quasi insculptum. Ssufiis, ut facile est conjectu, placuit quod et reliquis Orientalibus, quodque minori ratiocinationis et argumentationis studio contingere licet.

Idealismum amplexati sunt Sinensium antiquissimi doctores v. Mem. de l'Acad. des Inscr. Vol. L et XXXVIII, [1]) docueruntque illustrissimi Indorum magistri [2]), Idealismo haud dubie favent libri Vedami. Nam hoc non tantum ex Upnekhato probatur, sed

---

1) „La secte de Fo n'admet pour principe de toute chose que le néant et le vide." — Choix des lettres édifiantes, Paris 1808 Tom. I pag. 239.

2) Tantum non omnes; materialismum patrocinabantur Kupilo et Gautama, v. Ayeen Akbari T. II.

confirmatur etiam placitis Vyasae, qui philosophiae suae nomen dedit: Vedanto i. e. depromta e Vedamo. Cujus Vedanticae doctrinae adumbrationem brevem produnt Missionarii Catholici in libro: *Choix des lettres édifiantes*, Paris 1809 T. IV p. 246: „L'école de Vedantam a une autorité supérieure à celle de toutes les autres; elle professe comme principe fondamental de sa doctrine, l'opinion de l'unité simple d'un être existant, qui n'est autre chose que le *moi*, ou l'ame; Rien n'existe que ce *moi*, dans son unité simple; cet être est, en quelque façon *trin*, par son existence, par sa lumière infinie et sa joie suprême; tout y est éternel, immatériel, infini. Mais parceque l'expérience intime du *moi* n'est pas conforme à cette idée si belle, ils admettent un autre principe, mais purement négatif, et qui, par conséquent, n'a aucune réalité d'être; c'est la *Maya* [1]) du

---

1) *Màyam* in Sanskritica lingua: *falsitas, dolus; màyen: deceptor; màyunu: disparere v.*

moi, c'est à dire *erreur*. — *La clef de la délivrance de l'ame est dans ces paroles, que ces faux sages doivent se répéter sans cesse, avec un orgueil outré de celui de Lucifer: Je suis l'Etre suprême, "Aham ayā param Brahma."* — De materie verba quaedam accuratius rem illustrantia pronunciavit W. *Jones in Asiat. Res.* T. IV p. 164: „Matter has not either solidity nor impenetrability, nor extended figure, but matter and the mental perception of it are the same." — Quae verba hactenus quidem nonnisi subjectivum Idealismum innuere videntur, at vero subinde idem addit rerum ὑποκειμενον esse ἐνεργειαν *divinam*, quo nempe sublato universus in ruinas concideret orbis terrarum. Hinc, si quid video, clarum fit: sententiam esse externa quadam illusoria specie

---

Paolino: Systema Brahmanicum Romae 1791, p. 114. — P. Pons in Lettres édifiantes T. XXVI p. 247 duo prodit principia rerum, quae statuunt Indi: *Moy*: spiritus, *Maya*: fraus.

rerum simulacra nobis obversari. Id quod toto coelo distat et abhorret a doctrinis Eleaticorum, Fichtii, Berkeleii. — Sin vero Ssufii ad ullam inclinassent Occidentalium opinionem idealisticam, vix, me judice, ulla magis probata eis fuisset *Malebranchiana*, [1]) licet vel haec ipsa tantum habeat subtilitatis, quantum aegre aemuletur ingenium Orientale. —

De ratione autem, ubi eos interrogaveris, qua ejusmodi possint species materiei obversari animis eisdemque informari, vel obmutuissent, arbitror, imbecillitatem causati mentis humanae, vel Philoniana usi excusatione nullum Deo negotium esse monuissent aut

---

1) Non eo dicimus, quo Malebranchio, divino philosopho, cujus velimus sacro ardore philosophi qui nunc sunt exardescant, Idealismum affingamus; sed Ssufiis in expedito erat, e doctrina sua de ideis in Deo visis Idealismum excoquere; cf. inprimis quae habet T. I c. VI pag. 340. *De la recherche de la vérité*, Amsterd. 1688.

rei aut actionis cujuscunque φαντασιαν παρ-έχειν, ac si quis porro dubitasset, ejusmodi illusio num digna esset Deo; repondissent verbis Dschelaleddini, qui scribens de illusione mirificum suae ipsius illusionis specimen expromit, v. T. II p. 65:

نه همه بيني نه اختر نه وجون
جز خداي واحد حيّ ودون [1]
يك فسانه راست آمد يا دروغ
تا دهد هر راستيها را فروغ

„Tunc (puta: in conjunctione mystica cum Deo) nihil vides, non sidera, ne essentiam quidem. Praeter Deum omnia fumus sunt. Una fascinatio vel una fraus probata est, quo mille inde rectitudines seu justitiae eluceant.“ —

1) Hic falsam lectionem in textu meo esse suspicor. Verti acsi legerem: همه جو دود; Germanicum *Trug* persice: *Drūgh*.

Et quoniam ad hanc quaestionem deductus sum, temperare mihi non possum, quin locum apponam e Dschelaleddino, tam singulari idealistica ratione conscriptum, ut antequam omnia juste perpenderam, praeponderaret animus meus ad cogitationem notiones saltem aliquas interni Idealismi Ssufiis notas fuisse. Affert enim Dschelaleddinus in T. II p. 58 servulum domino suo persuadentem se ei tam egregie et praeclare Numen depicturum, ut nihil possit supra. Tum dominus juvenilem arrogantiam disputatione castigaturus, demonstrare inchoat, cogitationem, quamdiu in mente manserit, nihili esse, itemque conamina studiaque nostra et actiones accidentia esse, destituta realitate, contra res omnes conatibus, studiis actionibusque effectas pro substantiis habendas, jungere e. c. equum cum camela merum esse accidens, pullum vero e camela procreatum: substantiam, eademque e ratione descriptionem Dei, ubi mens non illustrata fuerit arcano Numinis appulsu, non magis juvare

quam caprae umbram sacrificio oblatam. — Quibus verbis scite juvenis reponit ib., p. 59: *Res sub oculos venientes haudquaquam propria, veraque existentia gaudere, sed veram existentiam inesse menti:* palatium antequam sub adspectum veniat, jamdudum fuisse in architecti animo exstructum, neque nisi hic antea fuisset conditum, alibi unquam surgere potuisse, idemque valere de fructibus, quibus originem dederit consilium arborum plantandarum, *totam adeo rerum universitatem prodire ex imaginibus animi,*

این عرضها از چه زاید از صور
واین صور هم از چه آمد از فکر
این جهان یک فکرتست از عقل کل
عقل چون شاهست وصورتها رسل

quae ei informentur cogitatione, denique mundum ipsum unam cogitationem esse mentis universalis eandemque illam mentem universalem velut auctoritate imperatoris ima-

gines quascunque emittere tanquam legatos suos "

Pendet memorabilis hujus loci interpretatio a voce عقل كل *mens universalis*, in cujus significationem infra copiosius inquisituri, summam utique disquisitionis illius, ne longius evagetur oratio hîc praemittendam duximus. Sermo est in scriptis Ssuficis de *mente universali* عقل كل, et de *spiritu sive ahima universali* جان كل aut نفس كل. Mens universalis, ut elucebit infra, vim generis humani designat mentalem seu intellectualem in universum comprehensam et complexam. Quodsi pro certo atque explorato habendum est, non est cur laboremus in loco isto explicando, evanescunt difficultates quaeque. Tantum enim abest ut Dschelaleddinus noster Idealismi notiones quasdam prodat, ut modo tritam illam sententiam repetat regi universum atque conformari *animi* potestate divinaque vi cogitationum atque idearum. Nihilo minus non indignus poëta Persicus,

qui ob tale praeclarum elogium in aequo ponatur divo *Platoni* aeque graviter corripienti *in Sophista* suo Materialistas saxis et quercubus adhaerentes.

Haud ab re erit, his de Idealismo Ssufico disputatis locum adjicere *Ghasalii*, ex quo perspicietur, quam prope vel in Idealismo accesserit mysticus orthodoxus ad Ssufios. Ita enim ille in libro quadr. princ. cod. ms. p. 48: „*Corporea naturae moles expers est verae existentiae*, imo ut a corpore umbra discrepat, sic a spirituali mundo corporeae concretionis congeries. Nec magis homo singulus existentiae veritatem (i. e. realem existentiam) in se habet, quam umbra hominis realitatem ejus; imo vero singulus homo veritatis (i. e. realis divinae essentiae) umbra est." Etenim haec rerum natura creata est ob causam a Deo ipso indicatam, ubi ait: „*Deo obedit sive sponte, sive vi coactum quidquid in coelis terrisque est, eorumque umbrae mane et vespere.*" — Veneratio mundi spiritualis erga Deum ob-

sequium spontaneum est, umbrarum vero cultus vi coactus. At quum mysterium, mysterium autem, imo vero mysteriorum centuria hic lateat, quorum vel prima (sc. mysteria) concuterent catenam opicorum, multoque magis extrema ejus: satius duximus reliqua transire silentio." —

A Ssaadio poeta insigni, cujus fama Europam, Asiam et Africam personuit, de cujus autem Ssufismo nihil habeo certi affirmare, Idealismi suspicionem propulsat commentator ejus turcicus Ssururi in comment. ad Bustanum. — Sic enim scripsit Ssaadi in Bustano c. III sect. 20 cod. ms.

„De destructione hujus rerum naturae, respectu ad majestatem Dei opificis, cujus nomen celebretur.

„Absit mens cujus via imperitos in errores ducit; secretae scientiae periti statuere: *nihil esse praeter Deum.* O scientiam praeclaram! quam ne aliis nisi mysteriis rite innitiatis prodas, etiam atque etiam rogo atque obsecro. Quid enim argumentatori si prodideris te

consecuturum opinaris? Nihil mehercule nisi turpissima convitiorum. Tamen quum oculis tuis obversari videantur coelum, terra, homines, reptilia, ferae, jam tibi temperare nequis horum omnium rationem ex me sciscitari. Quod a te factum equidem minime improbo, neque ego tibi respondere moror, dummodo mea responsio probetur tibi. *Me enim judice, desertum et oceanus, montes coelique, divae (Peri) hominesque, daemones atque angeli ad unum omnes multo inferiores sunt, quam quod, exsistente Deo, de eis existentiam praedicare liceat.* Si Dominus summus vexillum suum tollit, mundus caput suum in gremium absorptionis abdit." — Ad haec Saadii verba Ssuriri: „Scito Ssaadium nostrum, negando existentiam naturae, non id sibi velle rem quamlibet esse Deum, quem errorem a Ssufiis quibusdam circumlatum novimus, quos dicunt *Exsistentiarios* وجوديه. Quorum qualis sit defensio inde vides, quod interrogati de decreto-

rum suorum argumentis cognitionem interiorem et manifestationes afferunt, quibus cum testibus arduum est armis philosophicis dimicare, id est mentis ratiocinationibus. *Mentem* enim adversarii non magis, ajunt, tam altae scientiae capiendae capacem esse, quam *sensus* ratiociniorum *mentis* comprehendorum. Enimvero si de Ssaadii sententia quaeris, respondeo: Ssaadi hoc sibi voluit existentiam possibilem respectu ad existentiam necessariam non-ens esse; omniaque sublimia quae haec rerum natura in se continet respectu ad opificis divini sublimitatem esse vilia." —

Superest adhuc ut in hoc capite agamus de mundo conservando et sustentando, verum ratio, qua Deus universum e se emanatum integrum servet, focillet labefactatum, vires novas instillet veterascenti, ut reviviscat, jam admodum perspicua est ex eis quae diximus de formis, a quibus perpetuo e Numine huc effusis mundus nullo non tempore formetur, figuretur, alatur et regatur, praeterea secun-

dum

dum dogma unitionis توحيد tanta videtur esse mundi cum Deo cohaerentia, ut Deus instar spiritus sancti in scriptura tanquam ܡܪܚܦܐ (fovens, et more avium incubantium alas motitans) mundo impendeat, perpetua et effusione et, ut ita dicam, receptione animans naturam suam. Quapropter hac quaestione plane supersedere licuisset, nisi fuisset excutiendum quid sit, quod legimus apud Ssufios *de anima mundi* ceu rerum rectrice et conservatrice; id enim ubi sicco pede praeteriissemus, ansam habuisset qui obiter inspexerit Ssufiorum libros, Pantheismi Graecanici eos incusare.

Sermo est in scriptis Ssuficis de *mente universali* عقل كل, cui mentem particularem opponunt,[1]) et de جان كل aut

---

1) Metsn. T. III p. 102: „Opinio et praejudicium posita sunt in pravitate mentis particularis; opinioni enim solum natale in tenebris est.“ — et T. I. p. 42.

نفس كل i. e. *anima universali*, nam utraque vox illa in persico idiomate, haec in arabico eam significationem habet. Animam universalem, arbitror, animam vitalem a Ssufiis vocari utquae perfusa per totum universum ubique vitam, venia sit verbo, sensualem cieat, officiisque omnibus fungatur, quae sunt animae mundi a veteribus deputata. [1]) Mentio ejus fit in Dschelaleddino T. I p. 212:

---

1) Quanta nihilominus discrepantia sit hanc inter animam mundi et eam, quae credita est a veteribus, in facili est observare. Digna, quam hic apponam, notula doctissimi *de Sacy* in *Notices et Extraits T. X* ad no. 211 vocabulorum Dschordschanii: „L'ame universelle n'est pas la même chose que le premier entendement. Dans la doctrine des Druses et des Ismaéliens, et sans doute aussi dans celle des Sofis l'ame universelle est une émanation de la divinité, subordonnée à l'intelligence universelle ou première.“ Hic quodammodo ad unguem congruit mea disquisitio cum sententia viri doctissimi.

„Omnis hic mundus zelotypia incitatus; ob zelotypiam Deus hunc in mundum processit, nunc ei ceu anima inest, cujus corporea forma: mundus. Forma autem quidcunque ei inferatur et bonum et malum aequo animo accipit.“ — et in Dschauhar odsat Attari, cod. ms. p. 12: „Tu Deus spiritus es, res externae sunt nomen tuum. Tu Deus thesaurus es, rerum universitas est talisma tuum.“ — atque apud eundem pag. 18: „O quam praeclara mihi obtigit fortuna! Conspicitur in me spiritus universalis, tandem aliquando mysterium meum perplexum mihi apertum videtur.“ — Disserit Asisi quoque, ac singulari quidem modo, de anima vitali, cui hic nomen نفس tribuit, vocem cujus secunda notio est: *concupiscentia carnalis*, v. cod. ms. p. 56: „Etsi Sol coelo quarto affixus teneatur, radiorum luce usquequaque penetrante terrarum orbem nihilominus gubernat ac licet ipse Sol [1]) ab elementorum abhorreat

---

1) Hic Sol, ut in superiori loco notatum,

natura, quandoquidem astra nunquam vel calorem vel frigus vel madorem vel siccitatem experta sunt: quidquid elementa sive ardoris sive frigoris habeant, sive coloris cujuscunque, id tamen omne vi siderum ad ea pertinuit. Veluti princeps aequus omnia Sol imperata sua statim facta videt, *nam neque intra terram neque extra recte dici potest. Enimvero quum primum per aequationem mundus aequalem quandam adscivit tributionem: anima mundalis ob perpetuam motitationem amore excardescens concubitu spirituali mundum futuere inchoat,* quo ex concubitu ceu foetus editur eloquentia, doctrina, facundia, mores, decus et venustas." — Haec quantumvis dicta sint indecore, luculentissime tamen animae vitalis (quae hic nihil differre videtur a mente universali) efficientiam ejusque perpetuam ad praeclara

symbolum Numinis; *anima* itaque universi, *fusio* ejusdem *universa*, ut Ciceronis utamur verbis.

quaeque et pulchra excolenda, applicationem ostendunt et significant. Spinosiora et ardua interpretatu sunt, quae idem habet cod. ms. p. 20: „Quem Deus appulsu suo dignatur, ei tota rerum universitas codex Curani videbitur, in quo accidentia signa vocalium sunt, materies litterae, singulae quaeque substantiae tanquam versus et pausae. Itaque mundus quisque peculiarem praebet speciem, alius primo, alius ultimo Curanico capiti similis. Primus versus in Curano mundi mens est universalis, in quo versiculo locum habet haec mens litterae Be, quae prima cernitur in voce Curanum incipiente Bismillah. Versus secundus anima est universalis, versus lucis, luminis plenus instar lucernae. Tertius versus est thronus Dei. Quartus sedes Dei. Sequitur numerus corporum coelestium, e quo Caput Ssaba Almathani elucet; tum elementorum molem conspice, quorum quodque per se versus et respectu ad omnia, elementa autem excipit trium generum generatorum moles, nam illos versus enumerare

molestum est, descendit denique homo hominumque nomine postremum Curani caput inscriptum." — Certum est multum obscuritatis in his versibus tribuendum esse dictioni poeticae, nihilominus vero mirabile videtur quod rerum seriei mentem animamque universalem proposuit, nec statim ut faciunt alias Orientales poëtae, auspicatus est a throno Dei, neque exputo, nisi forte et hoc dandum orationi poeticae, cur hominem postremo loco posuerit ad ordinem creationis ejus, nec magis in aperto est cur mens et anima universalis, quibus carere non potest ulla res, seorsum sint recensitae tanquam creaturae.

Missis vero his qualibuscunque dubitatiunculis, adhuc de *mente* universali disputandum est, cujus notio, speramus, expositis Platonicis circa *νοῦν* dictatis, multum lucis accipiet e scitis Graeci philosophi. — Praecedentibus Orientalibus [1]) tradiderat etiam

---

1) Repleta sunt nationum priscarum omnium scripta religiosa comparationum hominis

Plato quandam eximiam inter hominis naturam et universi similitudinem, quemadmodum itaque *νοῦς* in homine Deum manifestat, hominisque naturam moderatur et gubernat, ita in universo quoque vigere statuebat *νοῦν* divinum, tanquam rectorem gubernatoremque summum; neque is tamen *νοῦς* hypostaticus a Platone habebatur, quam ei enim animam *ψυχὴν* assignat, eam a philosopho egregio tantum pro personalitatis substrato positam esse jamdudum inter eruditos convenit, eo magis quod anima illa a qualitatibus caeteroquin animae competentibus exemta et destituta postulabatur. [1]) Minus tamen certum est, utrum *νοῦν universi* mentem divi-

cum universo. Mirifice consonant elogia Vedami in Upnekh. T. I p. 24, Orphei carmina ed. Gesner fragm. VI e Proclo in Timaeum, Dessatir T. I p. [illegible] et Asisi cod. ms. in dogmate de homine microcosmo.

1) Pseudo - Platonis Epinomis ed. Bekkeri P. 3. V. 3 § 9. „οὐ γαρ ἐστιν ἀσωματον, ὅ τι παν

nam notare voluerit, an, quod mihi quidem magis probatur, *hominum* mentem in universum comprehensam. Quod si nobis conceditur eo magis crescit Platonis et Ssufiorum similitudo, quo obscurius est horum quoque commentum de mente universali. Quam enim mentem hoc titulo *universi* rectricem et conservatricem faciunt, eandem etiam intellectum dicunt *universitatis hominum.* Qua caeterum in re id tenendum est minime de componenda mente universali e singulis mortalium mentibus cogitatum esse sed de comprehensione quadam absoluta non nisi intima cohaerentia cum Deo.

Nec vero ad analogon hujus decreti inveniendum longe evagari oportet. Non enim prope ab eo absunt, quae habent *Indi* de *Pur-Atma* et *Dschiv-Atma.* Illud apud Indos aequiparatur omniscientiae divinae, quietum est et expeditum ab omni mutatione, hoc

---

ἄλλο γιγνοιτ᾽ ἂν, και χρῶμα οὐδαμῶς οὐδεποτ᾽ ἴχον, πλην το θειοτατον ὀντως ψυχῆς γενος." —

mundum penetrat, hominem, animalia, plantas vegetas reddens, arctaque necessitudine se adjungit menti et sensibus humanis, [1]) v. Ayeen Akbari vert. Gladwin, London 1800, T. VI p. 389 et Dow History of Hindoustan 1772, 4.

Et quum Ssufii tam studiose inculcent animam mundi arctissima necessitudine cum Numine connexam esse et copulatam, non ineptum foret ad patres illos ecclesiae Christianae redire, quibus persuasum erat praeter Spiritum Sanctum perperam hanc in rem raptum aliam esse animam mundanam licet nullo modo a Deo diversam, cui dispensatio commissa rerum omnium, earumque sustentatio. Cujus commenti testimonia congessit doct. *Moshemius ad Cudworthium* p. 658. — Jamque disce e loco Nessephitae, cod. ms. p.

---

1) Venit mihi haec scribenti *Plotini* in mentem, qui animam universalem animae humanae *πρεσβυτέραν ἀδελφὴν sororem natu majorem* appellat; v. *Cudworthium, in systemate intell.* ed. Mosh. pag. 700.

41, quaenam dogmatis Ssufici stamina scite texuerint mystici, quorum erat arcana doctrina „ab *animo adjuncto* [adjuncto naturae, quem eundem animum adjunctum abstrusiori sensu Muhammedem putabant] *omnem fluere, coelorum, stellarum atque elementorum vim et vigorem;*" quibus enunciationibus sine negotio suam annectere poterant Ssufii sententiam.

Ad extremum, si quaeris sitne e scitis Ssuficis mundus Deus habendus, id, ratione habita documentorum illorum, quae de immanentia mundi nos dubitare non sinunt, negare nec placet nec licet. Nam quantumvis contra nitantur, quantumvis se torqueant adversarii, quantumvis provocent ad persuasionem suam ex qua res in se nihil sint et necessario dependeant a Deo: his omnibus minime diluuntur dubitationes diligentius rem perpendentis. Quod autem interim non aliter sermocinantur, ac si essent numerico Pantheismo deditii, id minus inconstantiae quam incuriositati eorum tribuendum. Quemad-

modum Asisi in versiculis supra prolatis: *„Numeri multi sed una res numerata,“* et adeo Nessephita mysticus, cod. ms. pag. 88:

„بر دکز در صد هزاران موج وار
کوکده یلدزلر چق ولی بر در کنش
صد هزاران نقش صورت بر نقاش
بر چراغ در صد هزاران پروانه:

„Unum est mare: undae mille, multi atomi: unus sol, millia tabularum pictarum: pictus unus, una candela: mille pyrallides.“ — Hic in aperto est incuriositas, siquidem priores figurae revera multum dissonant a posterioribus. In similes metaphoras quam saepissime incidit Dschelaleddin; damus narratiunculam inprimis insignem e T. III cod. ms. pag. 131 sqq.: Aliquando, denarrat sanctus Dakiki, ambulabam plenus desiderii conspiciendorum amici mei luminum, satagens in gutta cernere mare, solem in atomo. Sic ubi processi ad littora oceani, dies et

nox fiebant intemporales (بیگاه¹). Tunc septem cernere videbar lumina, quorum flammae ad nubes usque lingebant.*) Illico obtorpui, stuporisque fluctus collidebantur super capite meo. Vae! ut hominum oculi sunt coeci, qui quaeritent lucernam illa dum septem lumina vel ipsa luna lucidius collustrant mundum. Quam mira oculorum fascinatio!¹) Rursus septem lumina in

---

1) چشم بندی. Non deprehenditur significatio illa in lexicis persicis, sed facilis est ejus conjectura. Respondet enim arabicum: اخذ بالعيون et syriacum: ܐܣܪ ܥܝ̈ܢܐ v. quae docte congessit Gesenius in Lex. hebr. maj. ad vocem חָבַר. Id fascinationis genus hodieque in Oriente grassatur. Super vocabulo بيت النفس hanc notam magister et amicus meus, quem honoris causa nomino, Max. Habicht ab Arabe accepit: „Sunt domus valetudinariae, ubi viri معيون, qui adspectu fascinante in morbum implicati,

unum, confluebant, cujus splendor perrumpebat coeli gremium. Aliquamdiu obstupefactus humi jacebam, at vixdum receperam mentem meam, ecce septem lumina ut septem homines in conspectu erant, quibus dum institissem appropinquare, apparent loco hominum arbores septem. Mentis non compos eram. Cacumina arborum adscendebant in summum coeli verticem, radices agebant profundiores Tauro et Pisce (astra). Id vero miraculum incredibile, quod mille homines praeteribant arbores nullas conspicientes, licet oculati. Illis, quum acclamarem: Agitedum! Adestote! Comedite fructus harum ar-

re piuntur et sanantur." Possint haec accommodari ad Chaldaei interpretationem vocis בתי הנפש, in Jes. c. 3. v. 20, eo magis quod sequitur לחשים, sed praestat Schroederiana explicatio vulgaris. — Haec eo tendunt, ut activa notio voci vindicetur, quae si cui minus placuerit, malueritque passivam praeferre, quasi: *Verbundenheit* der Augen, non obnitor.

borum! respondebant: Misellum hominem! cui fatum inflixit coecitatem; insanit! Enimvero certus sum me minime somniare, quid enim? Ego fortunatus accedo ad arbores, satior fructibus dum illos video inopes atque esurientes. Paullo post vidi arbores septem jungi in unam singulam et hanc singulam rursus diffluere in septem etc." — At vero liber *Dessatir* tam accurate tamque exacte Ssuficas opiniones reddit, ut nihil possit ultra, v. institutiones Schaikilev § ٥٧ in Dess. T. I pag. ٨٣: „Tua magnificentia, o Deus, altior est rebus visibilibus, quae non sunt nisi per splendorem tuum; ita ut nihil possit ad te accedere vel tibi adjungi, nec quidquam a te avelli." — Ad haec commentarius Sassani: Formae Dei [in textu پیابه; پیاپ i. g. پیکر forma] conveniens est substantia, extra quam et absque qua nequit esse, ita ut existentia sua conveniens sit substantiae suae [Anglus: For his self existence is the essence of his substance. Nescio quo

pacto hunc sensum elicuerit e textu: چنانکه هستی او ازو نك کوهر وی بست], quare non potest imaginatio formari, quasi eum jungere, unire vel numerare liceat. [sequentia ido secundum versionem anglicam, nam voces complures e persica antiqua dialecto hic obviae desiderantur in lexicis]. Res itaque hunc in modum proveniunt: absolutam habent essentiam et firmiter adhaerent Deo, quum [lege پرتو pro ایرتو] radius a Deo ad eas transeat, sed non ea ratione ut essentia qualitas eorum facta sit vel eis insit. — § ٥٨. „Obscurus et latens videre, o Deus! ob nimiam tuam claritatem et eximium splendorem tuum [ad unguem hanc sententiam sexcenties reddit Attar in Dschauher odsât, et ipse adeo Dschelaleddinus]." —

Caput sextum.

De libero arbitrio, deque discrimine tollendo inter bonum et malum.

Perinde ut Christianae fidei documenta, propterea haud dubie quod ejusmodi investigatio longe ultra humanae mentis aciem sita est, non tam lucide liberi arbitrii notitiam aperuerunt, ut unam solam interpretationis rationem admitterent, ita tantum quoque abest ut Muhammedes, cujus hebes ingenium ad talem quaestionem extricandam omnium minime valeret, dubitationis materiem e Curano removerit, ut cuique Curanum legenti in promtu sit quam incertus haeserit inter liberum arbitrium et divinam necessitatem. Tutissimum rebatur pseudo-propheta, silentium jubere hac de re sciscitantibus. Discimus hoc ex historiuncula Harirae aequalis ejus, relata a Ghasalio, cod. ms. p. 6: „Refert Harira prophetam accessisse aliquando ad eos forte de praedestinatione confabulantes

tes iratoque animo increpasse eos: Quid audio? Num ideo ad vos missus sum? Nonne centies ne haec res in disputationem vestram veniat vos obtestatus sum et obsecravi? En Omarum imitemini! *qui quum ex eo quaereretur praedestinatio quid sit? reposuit: Est mare profundissimum; iterum rogatus, respondit: Est via longe obscurissima; ac denuo percunctanti regessit: Arcanum est, quod, siquidem a Deo tectum, equidem retegere nolo. Qui regum arcana explorare vult non recedit a januis eorum et sedulo jussa perficit. Eodem modo tu, arcana Dei si noscere haves, erga Deum te gere!"* —

Primi itaque Muhammedani in dispares sententias abibant; eorum autem plerosque, ut fert Orientalium indoles, divinam quandam fatalem necessitatem tuitos esse, inde liquet, quod teste Muhammede Isfrajino cod. ms. p. 56 multo demum post Muhammedem primi placitum liberi arbitrii circumferebant *Mabid Dschohni* et *Ghailan Dimischki,*

iique ad exitum saeculi secundi Hedsch. insignem doctrinae suae patronum nanciscebantur: *Wassil ben Atta.* At quod plus est ne tunc quidem e Muhammedanismo dogma prodiit, sed e Graecorum scholis, quibus illo tempore operam Arabes litabant, advectum erat; v. scriptorem locupletissimum *Schahristanium* apud *Pococke* in Spec. hist. Arab. ed. altera p. 199 et *Maimonidem* in More Hannev. P. I c. 71. — Revera enim adeo est opinio de libertate arbitrii Muhammedanismo repugnans ut Isfrajinius in cod. ms. p. 85 acerrimis dicteriis convellat ejus defensores: „Propheta *Magorum* cognomen posuit patronis liberi arbitrii; neque id injuria. Namque *Magi* partem decretorum adscribunt voluntati Dei, partem diaboli (puta: Ahrimani) voluntati, iisdemque si credis nunc Dei decreta fiunt, nunc diaboli. In eo tamen graviorem culpam contrahunt Mutaselitae (discipuli Wasseli ben Atta) quam Magi, quod hi unius solius personae voluntatem opponunt divinae, illi vero culicis pulicisque cu-

jusque arbitrio haud minorem quam divinae tribuerint voluntati." [1]) — Tandem convenit major orthodoxorum pars hac de definitione: et malas et bonas actiones, et fidem, et obstinaciam creari a *Deo*, creatasque divinitus subministrari menti humanae, id tantum in *hominis* potestate esse ut ab eo ratio dependeat creatarum actionum aut digne aut indigne accipiendarum, sic v. g. creatis divinitus cogitationibus pravis et obstinacibus, hominem perversum superbia se efferre, virum contra religiosum suppliciter deprecari infidelitatem et pravitatem suam, Deum proinde actiones tanquam nummos cudere, hominem erogare nummos a Deo cusos. Hoc si duntaxat quantulumcunque reliquissent nostrae voluntati, ferri possent, sed eo usque cum multi orthodoxi tum Ssufii universi a veritate declinarunt, ut in quaslibet latebras se conjiciant, ne penitus arbitrii libertatem infringant.

---

1) Similia memorat hoc circa argumentum *Chardin* ed. Langlès Vol. VI p. 213.

Id inprimis intelligitur ex excusationibus interdum ineptissimis, quibus Persae orthodoxi, et argutiis aculeatissimis, quibus Ssufii injuriam peccati primi ab Adamo amovere annituntur. Quod ad illos, adeatur *Chardin* ed. Langlès in Vol. VI p. 223 sqq. de his consulendus est *Dschelaleddinus* in Mets. T. I p. 96 sqq.: „Nunc quae nostra et quae Dei actio sit placet contemplari. Nos *vere* agere inde patet, quod, ni homines agerent, ab homine nullius possemus actionis rationem petere. Indidem autem nihilosecius liquidum est Deum creatorem esse actionum nostrarum. Quid? Qui loquitur aut litteram respicere coactus aut rem, nequit uno eodemque momento comprehendere utrumque. Inde fit, ut alterutrum ei negligendum sit, siquidem nemo unus eodem tempore potest prospicere et respicere. Sic animus noster nequit eodem tempore et ad litteram advertere et ad rem. At Deus complectitur omnia, Ejus igitur actio a nulla qualibet alia actione impeditur. Vociferatus est diabolus:

(puta: in lapsu suo) *Quid Domine nos decepisti?* quippe rejectus ille ignorabat suam ipsius fuisse turpem illam actionem. Contra Adamus dixit: *Nos ipsi egimus impie!* Nam melius quam nos Adamus Dei opera perspexit. Adamus, prae reverentia Dei, abdidit actionem Dei in suo peccato nec id parvi a Numine aestimatum est, sed fructum ejus Adamus recepit. Deinde posteaquam Deus misertus erat Adami ex eo quaesivit: Quid? *Nonne equidem suggessi tibi peccatum?* Nonne e mea tu institutione atque meo e decreto lapsus es, quid est quod tu veniam impetrando hoc occuleris? Quibus Adamus: *Veritus sum ne tui oblivisocerer reverentiae.* Cui Deus: *Eam semper, mi Adame! de te habui bonam spem nunquam futurum ut mei a te neglectur reverentia.* — Ita fit ut qui praestet reverentiam, ei reverentiam vicissim praebeamus, ut saccharum qui afferat, accipiat dulciola. — Jam vero ut etiam accu-tius necessitatem ab arbitrio distinguas, exemplum proponamus. Manus febre tentati *motu*

febrili contremiscit, alius *movet* manum a loco suo, certo utriusque motus auctor Deus est, attamen fieri non potest ut alterum noscamus ex altero; nam quid causae est, quod nunquam febriculosum motus manus suae poenitere possit? Ejusmodi arcanum profecto tanti esset, ut a ratione (mente) illustretur, dummodo tantis in rebus valeret aliquid ratio!" —

Similis argumentatio obvia est Mets. T I p. 107; „Prima causa actionum in mundo arcanorum; quae autem consequentia sint actionum primariarum, hominis non est praestituere. (Glossema ad hunc versum: Dicit de actionibus effectis per actiones praecedentes v. g. si quis lapidem conjicit in ampullam eamque frangit, actio secunda est: frangi ampullam). Omnes tamen actiones, ut maxime actiones secundae *nobis* insimulentur, procul dubio sunt Dei." Jacit Ssaïdus in Omarum sagittam, quae taetros ei dolores ciet. Quid tum? Dolores Omari certo creati sunt a Deo, non ab homine. Ac si Ssaidus prae me[illegible] conficiatur Omarus usque ad extremum diem

morsu conscientiae excruciatur tandemque enectus gravitate moeroris occumbit morti, se ipsum debet moeroris et doloris sui causam agnoscere, tametsi omnium illarum rerum auctor *Deus* sit." — Licet sane vel his in argutiis pallidam liberi arbitrii speciem notare, aut citius inde extorquere, sed hoc quantulumcunque elabitur itidem, si partim rationem habemus *fati astrolabici*, cui obtemperantes et subjectos faciunt Ssufii mortales v. Mets. T. I p. 50: „*Si cui necessitudo est cum sidere, non alium cursum ipse obit atque sidus suum;* si Veneris horoscopo natus, luxuriosus est, propensionem habet universalem (i. e. desiderium redeundi in universum sive Deum) atque amorem et studium quaerendi (Glossator: quaerendae conjunctionis cum Deo), si Martis horoscopo, atrox et sanguinolentus, disputax et litigiosus etc." —. et ibid. p. 56: „*e revolutionibus coelorum funes dependent per quos dirigantur res humanae*" — junge p. 231: „Sol astraque se officiosa praebent mortalibus in formando

embryone" — *sive partim aeternam reputatamus causarum continuationem, ex qua, quidquid accidat, fluxisse perhibent* v. Mets. T. I p. 56: „*Illa* causa (Glossema: puta: Deus) producit *has* causas; adsit, oportet, causa primaria, nam causa nequit ultro exsistere. Causae autem quibus diriguntur prophetae praestantiores sunt causis rerum mundanarum, illae itaque vel has causas provocant vel deprimunt." — Proinde constantiora multoque magis systemati Ssufico consentanea, quae Dschelaleddinus pronuntiat in Mets. T. III p. 108: „Si Deus foedus postulat jungite foedus Ejus! Nam, ait Deus, *mihi competit imperium operum manuum vestrarum; omnis vestra optio a me dependet, ubi illuxit* nova mihi consilia in promtu sunt; fieri non potest ut consilium hominis unquam deflectat ab optione mea; idcirco in traditione (puta: Muhammedis) dictum est: *Cor simile fructui acto in media planitie agri a turbine!"* — Quibus adde Asisium cod. ms. p. 53: „*Actiones nostrae meta-*

phoricae sunt, quod eas tribuunt nobis, secundum profundioris doctrinae dictata, ludibrium est. Tu utique nihil agis, siquidem in te creantur opera tua; tu contra omnino ab agendo exemtus es. [Desunt hîc versus duo quorum sensum exputare non potui] Antequam corpus et anima figurata, sua cuique opera designantur. Est qui sexcenties mille annos religiose tribuat obsequium, sed oneretur ad ultimum catena maledictionis; est e contrario, cui e rebellione profundatur lumen divinum, cui resipiscenti illuceat lux Muhammedis." — atque eundem cod. ms. p. 54: „*Nulla actio e nobis venit, quid igitur malum, quid bonum?* Beatus miser qui ipse non eligit sed cogitur, cui delectus nullus permissus, qui semper pendet ab aliena voluntate. Tantum enim abest ut hoc injuria sit, ut mera bonitas videatur et clementia, non oppressio est sed e sapientia et justitia ita institutum. Legem ideo praeceperunt, ut sic prodeat essentiae tuae definitio, jam si non vales parere prae-

ceptis, quae leges produnt, illico e medio egrederis, [quae eadem dictio quum alias valeat: in *altum evehi, in coelum ferri*, non dubito quin hîc etiam hunc capiat significatum], per universitatem [i. e. exinde quod te particulam percipis magnae rerum universitatis] liberaris a te ipso [i. e. ab individualitate], neque eges nisi Deo uno." — Quibus cum pronunciatis congruit Dschelaleddinus [1]) T. I p. 95 ubi necessitatem quidem in actionibus nostris non negat, eandem autem majori jure vocari ait: *communionem cum Deo*: معيّت با حق. Et revera sic se res habet. Rebantur quidem Ssufii hominem mysticum agere ad arbitrium Dei, sed quia voluntati divinae congruenter, propterea li-

1) Alias vel propterea conjicit indoles nostras praestitutas, quod, e traditione Curanica, Adamus *rerum nomina* edoctus sit. Quem hic itaque audierit fore album, non posse nigrum esse, nec magis candidum quem compererit atrum futurum.

bere, eidemque arbitrio divino parere item vulgus profanum, sed hoc quia nondum senserit suam intimam cum Deo necessitudinem, nec comprehenderit rationem qua nos omnes divine cogamur mandata sua exsequi, propterea agere coacte. Cujus sententiae pulchra adumbratio porrigitur in hacce narratiuncula, Mets. T. III p. 124: „Interrogavit Behlul Derwischum quendam: Quo loco sunt res tuae? Optimo sane, respondit ille, quî enim aliter posset apud eum, cujus ad arbitrium rotantur globi noctium et dierum, fluunt flumina, nitent astra, quo defendente nemo in mundo ridet, nemo plorat. Quem, quum rogassent alii ut clarius loquatur, ita ferunt dixisse: Nonne totum universum voluntate divina gubernatur, ita ut nec folium ab arbore decidere nec offa guttur possit intrare nisi ipso jubente? Jam vero quum Dei beneplacitum servo gratum sit, nonne ad servi voluntatem omnia fiunt, *quid quod ne precum quidem indiget, nisi forte eas fundat Dei oblectandi causa.*" —

) Rursus ideo devertimur ad mysticismum, nominatim ad summum ejus gradum absorptionis, de quo circumfertur inter Muhammedanos traditio: „*Dixit Deus: Si servum adamavi, fio equidem auris ejus oculus et lingua.*“ — quam Glossator ad Dschel. T. I p. 124 in medium profert, itemque Ghasali et in libro quadr. princ. et in libro restaur.; nec minus Attar in Teskirat ol Aulia cod. ms. fol. 186. In hac nituntur quae Dschel. edit T. I p. 25: „Sapientes instar calami sequentis quoquo vertatur a manu tenentis eum“ et ibid. p. 102:

„زلّت او به نزن حق [1])

پیش کُفرش جمله ایمانها خَلق

---

1) Sermo est in antecedentibus de Ssufio; sed metrum docet desiderari vocabulum in versu priori. Vocem خلق explicat Glossator: كهنه. Significatus: *vestis trita*, quem Golius dat, vulgaris est; sed hocce sensu adhuc vocem non deprehendi.

„Ssufiorum peccatum benefactum a Deo aestimatur, et prae Ssufii infidelitate, totius mundi fides flocci habenda.“ — et p. 104:

کاملی گر خاک گیرد زر شود
ناقص ار زر برد خاکستر شود
چون قبول حق بود آن مرد را
دست او در کارها دست خداست
دست ناقص دست شیطانست و دیو

„Perfectus si pulverem corripit, fit aurum; imperfectus si aurum portat fit cinis. *Probus ille, si Deo acceptus, manus sua in actionibus est manus Dei, contra manus imperfecti manus Satanae et daemonum.*“ — et Asisi cod. ms. p. 15:

ببین عالم بهم درهم سرشته
ملک در دیو شیطان در فرشته

„Viden' quam mire mundus confusus est, an-

gelus in daemone, et daemon vicissim in angelo." — et p. 59 ap. eundem:

حق اندر کسوت حق بین وحق دان
حق اندر باطل آمد کار شیطان

„*Vide Deum in veste Dei et agnosce Deum! In malo autem Deus actio fit diaboli.*" — Ex quibus enunciatis omnibus extremum illud est, non esse malum, sed quod prae se ferat mali speciem, malum videri tantum.

Ad hanc sententiam quae et per se saniori cuique menti falsa vel citius taeterrima videtur et per terribiles ejus consequentias omnem subinde subvertit vitae religionem ac sanctimoniam, plures delapsae sunt Hesychastarum familiae, quae humanam sentiendi rationem fere desuetae procul a vitae negotiis ad motus animi divinos attendere solerent. Quis non noverit commenta *Plotini*? Cujus vestigia religiose pressit *Pseudo-Dionysius*, qui primum probat in rebus omnibus aliquid duntaxat boni exsistere, alioquin omnino es-

sent nullae v. *Opera Areopagitae ed. Coteleri*, Parisiis 1644 p. 487, tum malum vel in diabolo carentiam tantum esse et defectum, [1]) deinde nec materiem malum esse, siquidem qualicunque demum modo consors est essentiae p. 494, postremo *ne privationem quidem posse pro malo haberi.* — [2]) Inprimis autem in hac quoque materie Indi consideratione digni, e quorum Upnekhato, in medium ferre juvabit dictata duo praecipua. Upnekh. T. II p. 333: „Deus est bonum et malum, complectitur contraria omnia.“ — ib. p. 432: *„Peccatum quod Sata-*

---

1) Opera Areopagitae ed. Cotelerii p. 494: Οὐκ ἄρα οὔτε ἐν δαιμόσιν, οὔτε ἐν ἡμῖν τὸ κακὸν, ὡς ὂν κακὸν, ἀλλ' ὡς ἔλλειψις καὶ ἐρημία τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν τελειότητος.

2) ibid. p. 497 § 29 c. IV: „Ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο, ὃ φαμὲν, στέρησις κατὰ δύναμιν οἰκείην μάχεται τῷ θεῷ· ἡ γὰρ παντελὴς στέρησις καθόλου ἀδύναμος· ἡ δὲ μ[illegible] καθ' ὃ στέρησις, ἔχει τὴν δύναμιν, ἀλλὰ καθ' ὃ οὐ παντελής ἐστι στέρησις.

nas hominis est, ipsum est Atma et divina existentia." — cf. A View of the history and litterature and religion of the Hindoos by *Ward* 1817 Vol. I p. XCI: „The Vedanta-Saru teaches that actions of every kind are of the great spirit, which is diffused through every form of animated matter." — Cujus tam praeposteri et nefandi dogmatis radicem in praepostero Mysticismo, sitam esse elucet vel ex illo loco Upnekh. T. II p. 337: „Apud sapientes qui unitatem suam cum Deo cognoverunt: malum et bonum Deus fit." — Nunc cum his conferantur dicta Ssufica apud Asisium cod. ms. p. 52:

کسي کو را وجود از خود نباشد
بذات خويش نيک و بد نباشد

„*Quicunque sprevit suam in essentia manere, ejus essentia in reliquum nec bona, nec mala est*." — et apud Attarum cod. ms. pag. 68:

قدم بالا نهادستم نو بي خود
نه هستي ماندهست نه نيک ونه بد

„Si-

„Simulac pedem protulisti in absorptionem tui, nec Exsistentia remanet, nec bonum, nec malum“ — porro ap. Dschelal. Metsn. T. I p. 114: „Deus velut anima est, mundus ceu forma ejus, quidquid autem sit, quod accipiat forma ab anima, contenta est.“ — atque ibid. p. 166 „eandem rem modo saccharum esse modo venenum, modo fidem, modo infidelitatem, praeceptorem veneno vesci tanquam dulciario dum eodem discipulus vita privetur“ — denique ib. p. 184: „E veritatis pelago si curva spuma emergit, scito ramum illum puras habere radices, *spuma enim tam pura est, crede mihi, ut labiorum dilectorum convicia.*“ — Memorabili sententia docet Dschel. jam eatenus, quod totus mundus e Deo emanaverit, rem re non posse pretiosiorem esse, v. T. I p. 186:

مختلف جانند از یا تا الف

در حروف مختلف شور و شکیست

گرچه از یک رو ز سر تا پا یکیست

از يكي رو ضد ويكي رو متّحد
از يكي رو هزل واز يكي روي جد ✿

„Discrepant animi, litterarum discrepantia, a littera Eliph usque ad litteram Ja. In litteris autem discrepantibus rixa est et discordia, licet respectu quodam ad unam omnes pares sunt. Altera ratione sunt contrariae, altera pares; *altera parte significant joca, altera seria.*" — Quid quod Ssufii, alias studiosissimi caute errorum suorum dissimulandorum orthodoxae fidei si nimis repugnant, hic agunt apertius adeo ut Dschelaleddinus planis verbis adstruat Pharaonem [1]) rem si spectamus,

1) cf. *Malcolm* Hist. of Persia T. II p. 391, ubi Aga Muhammed, referente illust. Malcolmio, sic scribit de secta Ssufiorum *Mulametije* dicta: „Many Soofians maintain the doctrine of necessity, which confounds all virtue and vice, but this sect proceed further and give a preference to what the world call vice and hence their name of *reproached.*" — atque ib. p. 403:

nihilo fuisse Mose sequiorem. En locum, quo diserte et confidenter sententiam hanc emittit temerariam: Mets. T. I p. 157: „Consideres velim Mosen et Pharaonem secundum veritatem, namque secundum speciem dispari via incedebant, alter bona, mala alter. Quum aliquando Moses lacrymabundus precatus esset ante Dominum suum, Pharao non parcioribus lacrymis sortem suam aerumnosam lamentatus hujuscemodi clamavit: „„O mi Deus! Cur tali jugo submisisti collum meum, namque

---

The Soofies deem every thing in the world as a type of the beauty and power of divinity. — *In the impious daring of Nimrod and Pharao they see and admire the omnipotence of his power.* Sahel ebn Abdullah of Schuster has written: „that the secret of the soul was first revealed when Pharao declared himself a God.“ Secundum Curanum divinitatem prae se ferebat Pharao; sed ipse adeo Ghasalius in hac tanta protervia et procacitate nihil cernit quam innatum animi ad divina aspiranda studium nobilissimum; v. libr. quadr. princ. cod. ms.

jugum ni esset cur diceremus: Ego sum ego? *Ex uno eodemque fonte Mosen splendidum, me atrum reddidisti.* Tamen, quid astrum meum, quum ipsa luna deficiat. Si Deus summus sortem ducit, corripitur luna, plebs illidit poculis et patinis [1]) ad ejus opprobrium. Mihi Pharaoni simile quid accidit, ubi plebs acclamat mihi: O Deus summe! Quae acclamatio meae lunae est poculorum illisio. Illa, si patitur obscuritatem quidni patiar ego? Nemo quidem infitias iverit me non modo non inferiorem Mosi esse, sed imo parem ejus, verumtamen decidit e sylva securis tua ramos, quoscunque placet. Nunc ramum jungit, nunc corrumpit, ecquae est igitur securi potestas contra dominum securis?"" — Tum aliquantum meditatus sermonem suum Pharao persequebatur: „„Quid

---

1) Notum est, oborta solis defectione, Sinenses, Indos, alias gentes, quo draco, quem putant, solem devoraturum depellatur, altum aeris edere crepitum.

vero? nonne per noctem condor in mari Domini mei, unde fit ut illucescente die, cum Mose congressus, mei ipsius tam dissimilis fiam? Unde fit, ut mox sim luna lucidior, mox tenebris opacis atrior? — Sic autem se res habet, ubi, quod coloribus privatum erat, coloribus tingitur, Moses cum Mose in rixam it, contra ad naturalem discolorem suam speciem redeuntes Moses et Pharao denuo reconciliantur. Te scilicet, bone! demirari video e discolori specie prodire colorem, at nonne simile quid evenit, si ex aqua olivam humectante oleum gignitur, rosa e spina si procrescit? — Unde nascitur haecce rixa? rixa autem, imo vero sapientia est summa, sicut inter asinorum venditores rixa ad quaestum pertinet, vel potius hic desertum est, in quo thesaurum quaerere oportet." — [1]).

---

1) Non possum quin, data hic opportunitate, [illegible]actos relinquam futiles Schalmaghanii errores diligenter a scriptore praeclaro Abulfeda

Qui talia proferens acerbas Dshelaleddinus easque meritas aequalium suorum piorum castigationes effugere potuerit, haud intelligo; nam graviter profecto ejusmodi im-

---

notatos, v. Annal. Muslem. ed. Reiske Tom. II. p. 283. Docebat: Deum eatenus se in rem quamlibet immittere, quoad res valeat ad eum accipiendum; contraria autem a Deo provocata esse ut se alterum alterum invicem in luce ponant. *Sic Deum habitasse in Adamo et in Satana pariter*, quantumvis alter alteri contrarius; *piis ideo quibusque additos fuisse Satanas suos contrarios*, Nimrodum Abrahamo, Pharaonem Aharoni, Judam Messiae, atqui id quod indicet veritatem praestantius esse veritate, proinde diabolos, qui se opponerent viris piis, his fuisse multo praestantioris naturae. — Nihil tam stolidum, nihil tam scelestum, quin excoxerit mens humana! — Videntur et Rabbini cogitare de incarnatione Satanae, quippe qui eidem scelestorum omnium nomina induant, ita ut in eorum scriptis veniat Esai, Hamani, Edomi, Amaleci nomine. v. Eisenmenger entd. Judenth. T. I p. 825 et 827.

piae sermonicationes lectorem quemque religiosum offenderint oportet; eo magis, quod nullus hîc callidis locus relictus erat excusationibus. Est quidem apud eundem locus, ubi ad communem recidere videtur Muhammedanorum sententiam, secundum quam creantur actiones a Deo, subministranturque mortalibus divinitus creatae, at simul non obscure significat vulgares hac de materie sententias sibi quam maxime displicere v. T. III. p. 88: „Duas ex me quaerebat amore quidam inflammatus notabiles quaestiones. Effatum, ille dixit, prophetae nostri habemus: „„Qui infidelitatem suam approbat, ipse est infidelitatis suae arguendus,““ verum non approbare sortem suam, non minus nefas ducitur: quid ergo faciam? Cui ego ita respondebam. Praestituta haec infidelitas per praedestinationem est, eo igitur respectu quod adducitur a decreto divino, infidelitas infideli omnino approbanda, abhorrenda vero hactenus, quoad nostra gignitur ex incitatione, *nam stultitia est infidelitas, mera autem*

sapientia decretum infidelitatis, quippe respectu ad decretum infidelitas non est infidelitas, absit enim ut Deum infidelem arbitremur! — Enimvero ut amore exarsi piget me jejunae disputationis. Illum, cui ictu tuber effecerant, rogabant, manusne an caput tuberis sit causa efficiens? At respondit: Id tu discutias qui me percussisti, mihi tuber nimis dolet, quam ut instituam talem disquisitionem. — Quid iis dux prodest, qui jam advenere? Stultus est, qui coelum jamjam ingressus, adhuc scalam Jacobeam rimatur, nec magis decet sedentem ante regis solium, legere epistolam legati (i. e. nunc mittamus inquisitiones istas, ubi vero cum Deo coaluerimus, sponte desistetur ab anquirendo)." —

alium in censum referendus *Abu Mukanna* (obiit a. 163 H.), Abu Moslem aliique de quibus copiose complures egerunt viri docti.[1])

---

1) Epitomen e scriptoribus Arabicis dedit historiam Mukannae illustrantem vir egregie de litteris Orientalibus meritus cl. *Adlerus* in *Eichhorn Repert. f. morgenl. Litter.* T. XV. Ibi in locis quibusdam vertendis male hallucinatus est vir doctus. Ebn Schohna, ut hoc utar, ibid. pag. 293 de Mukanna refert: كان أوّل امره فضارا في مرو واعور مشوة الخلق Adlerus vertit: *Er war eine unansehnliche Mannsperson*, atque in nota addit: „فضارا ein zweifelhaftes Wort, andre Lesarten: اقصار und موضار." At planum est veram lectionem esse قصّارا, hanc lectionem cernimus in verbis Chalicani, quae v. d. exhibet p. 292, in versione autem, nescio quam ob causam omisit: وكان في مبدا امره Videtur v. d. haesisse in formula: مبدا امره.

— Jam si tantum venerationis acquisivit Alius, et tantum sibi honoris sumserunt Asaker, Hulmān, Mukanna, haud in difficili est conjicere quantum tributum sit Muhammedi; ac revera, quem divinitatis gradum sacri codices assignarunt Domino nostro Jesu, quem Indi Brahmae, quem prisci Persae Oromasdi, [1])

Ea tamen minime obscura, sexcenties enim redit in vitis Sanctorum, ubi notat: *Am Anfange seiner Laufbahn.*

[1]) Praeteriisse videtur plurimos viros doctos singularis apud *Paulinum a St. Bartholomaeo* notitia, ex qua conficitur *Indicae esse originis dogma de Oromasde et Ahrimano*, vetereque Persas his appellationibus fortasse non tam duos regnorum duorum potentes gubernatores designasse quam potius regna ipsa. Docet Paulinus in libro: *Musei Borgiani Codices Indici*, Romae 1793. p. 193. ഒരുമ *orumà* in Indico sermone significare *unionem, concordiam, oromikunu: unire, conjungere*, contra അരിമ *arima* notare: *inimicitiam, discordiam, ari* inimicum. — Labe-

alium in censum referendus *Abu Mukanna* (obiit a. 163 H.), Abu Moslem aliique de quibus copiose complures egerunt viri docti. [1])

---

1) Epitomen e scriptoribus Arabicis dedit historiam Mukannae illustrantem vir egregie de litteris Orientalibus meritus ol. *Adlerus* in *Eichhorn Repert. f. morgenl. Litter.* T. XV. Ibi in locis quibusdam vertendis male hallucinatus est vir doctus. Ebn Schohna, ut hoc utar, ibid. pag. 293 de Mukanna refert: كان اوّل امرة فضارا في مرو واعور مشوة الخلق Adlerus vertit: *Er war eine unansehnliche Mannsperson*, atque in nota addit: „فضارا ein zweifelhaftes Wort, andre Lesarten: اقصار und صوضار." At planum est veram lectionem esse قصّارا, hanc lectionem cernimus in verbis Chalicani, quae v. d. exhibet p. 292, in versione autem, nescio quam ob causam, omisit: وكان في مبدا امرة Videtur v. d. haesisse in formula: مبدا امرة.

— Jam si tantum venerationis acquisivit Alius, et tantum sibi honoris sumserunt Asaker, Hulmān, Mukanna, haud in difficili est conjicere quantum tributum sit Muhammedi, ac revera, quem divinitatis gradum sacri codices assignarunt Domino nostro Jesu, quem Indi Brahmae, quem prisci Persae Oromasdi. [1])

Ea tamen minime obscura, sexcenties enim redit in vitis Sanctorum, ubi notat: *Am Anfange seiner Laufbahn.*

1) Praeteriisse videtur viros doctos singularis apud *Paolinum a St. Bartholomeo* notitia, ex qua conficitur *Indici esse originis dogma de Oromasde et Ahrimano*, veteresque Persas his appellationibus fortasse non tam duos regnorum duorum potentes gubernatores designasse quam potius regna ipsa. Docet Paolinus in libro: *Musei Borgiani Codices Indici*, Romae 1793 p. 193 ഒരുമ *orumà* in Indico sermone significare *unionem, concordiam*, *oramikunu: unire, conjugere*, contra അരിമ *arima* notare: *inimicitiam, discordiam*, *ari* inimicum. — Labe-

recentiores Soroastro: eundem obtinuit Muhammedes apud Muhammedanos.

---

factavit sane, quod in superiori loco concessimus, doct. Tychsenius sententiam Anquetilianam de Numine summo maximo eodemque Oromasdis et Ahrimani genitore, nec tamen evertit; etenim sive rem spectem, sive auctoritates veterum, nequeo calculum meum Anquetilianae sententiae non adjicere. Quid? Objectat cl. Tychsenius, *Servan Akerene non esse personam*, quasi vero homines prisci praesertim Orientales vulgo tuiti essent personalem, quam ajunt, Dei exsistentiam. Imo etiam Graeci ante rerum creationem ponebant *Κρόνον*, qui nihil differt a Sinensium *Tai-kie*, de cujus natura non personali v. *Leibnitzium lettres sur la philos: Chinoise* Tom. IV p. 81. Praeterea autem et illud *Eudemi* testimonium apud *Damascenum* (Wolfii Anecdoct. Gr. T. III p. 259) et illud *Theodori Mopsvestiensis* apud Photium cod. 81 majoris evidentiae est, quam quod diutius nos sinat in dubitatione versari. — E prioris loci explanatione temere se expedit cl. Tychsenius, in po-

Constans est Orientis doctrina, jam usque a vetustissimis ducta temporibus eaque et Christiana religione et omnium gentium firmata consensu, usum esse Deum rerum universitatem creaturum natura quadam divina sibi proxima ac simillima, in quam, latius

---

steriore nomen adeo *Ζαρουαμ* habemus. Quod enim *Ζαρουαμ* ibidem *Ζασραδης* nominatur, corruptio videtur nominis Soroastri, quem cum primo principio confundebant. — Postremo temperare mihi nequeo, quin subtexam in nomen *Ζαρουαμ* notulam qualemcunque. Magnus *Vossius de Theologia Gentili*, Francof. 1668 p. 33 e Gusmino profert significationem: *satoris omnium*, quae quibus sit rationibus superstructa ignoro, nam Arabica lingua, quam ille laudat, nil tale suppeditat. Sendavesta nomen illud reddit: tempus infinitum. Jam apprime accommodatum mihi videtur conferre vocabulum persicum هزاران *millia*, quod consentaneum etiam Arabicis historicis, qui reddunt τὸ Zervam per: عالم.

deinde effundenda, redundaret exuberantia copiae divinae. Haec divinae copiae divinarumque virium summa apud Occidentales nomen λογȣ sortita est, apud Orientales *intellectus primi*. Venit enim hoc nomine in *Upnekhato* T. I p. XIV, T. II p. 115; in *Maha-bharati* fragm. fol. 449 recto ad calcem Upnekh. T. II p. 828 atque ib. p. 833 atque probabiliter hinc exorta mythica Buddhae persona, nam docente Paolino in *Recensione Codicum Indicorum Musei Borgiani* Romae 1793 p. 34: ബുദ്ധി *buddhi*: *intellectus* est in Indico idiomate, ബുദ്ധം *budham*: *res intellecta.* [1]) Venit etiam eadem appellatione خرد نخستین هوش نخستین in *Dessatiro* Vol. I p. ۴ § ۱۲, in

---

[1]) Duplicis generis stamina in textura Indorum de *Buddha* suo coaluerunt, altera mythica nullo innitentia historico fundamento, altera historica, quae prius deprehenduntur in Sinensium traditionibus de Fohi philosopho.

Yassani institutione § ۴۱ et alias, in *Dabiestani fragm.* edito a Gladwinio, vert. Dalberg Aschaffenb. 1809, p. 18, eundemque intellectum primum, ut maxime nomine mutato, reperimus apud Sinenses, v. *du Halde* T. IV p. 71 et apud Japonenses, v. *Kämpfer* Reise nach Japan T. II § 275. — Jam vero haec intellectus primi sive manifestatoris divini notio, pro eo, quod qui producta rerum universitate patefaceret Numen supremum, eidem mentium quoque humanarum cognitione Dei imbuendarum provincia demandabatur, in celsissima quaeque diversarum nationum ingenia religionumque conditores translata et traducta est. Ab Indis in Buddham, a recentioribus Persis in Soroastrum, [1]) a Judaeis in Messiam, a Christianis in Jesum Chri-

---

1) *Malcolm, History of Persia* T. I p. 192: „*Dabistan tells the soul of Zoroaster was created by God, and hung upon the tree, from that all that is celestial is produced, tree is metaphorical*

Christum, [1]) a Muhammedanis denique in Muhammedem suum. —

---

rical to signify the first reason or knowledge." — Cujus commenti primam notam forsitan jam in illis observare licet, quae *Mopsvestiensis* de *Zasrade.*

1) Quam vere Dschelaleddinus, in Metsn. T. II p. 185 contra inconsideratas nonnullorum dubitatiunculas:

گر نبودي در جهان نقدي روان
قلبها را خرج كردن كي توان
تا نباشد راست كي باشد دروغ
آن دروغ از راست ميگيرد فروغ
پس مكو جمله خيالست وضلال
بي حقيقت نيست درعالم خيال

„*Nisi in mundo essent genuini nummi, quomodo possent adulterini* [Hic vocis قلب significatus desideratur in lexicis. Illustratur quoque a cel.

De Muhammede autem ceu λογῳ divino, duo loci agunt, digni qui a me transcribantur. Alterum expensum ferimus historico praeclaro *Mirchondo*, in cujus historia caput exstat inscriptum: „*Quae sit creaturarum prima simulque praeclarissima*.“ Ibi haec habet vir doctus: „Quaerebat aliquando Dschaber, vir gravissimus, qui antea tam in Idololatria quam in Christianismo et Judais-

S. de Sacy, Pendnameh Paris 1819 p. 151.] *circumferri? Ubi veritas est nulla, qui potest fraus exsistere? Fraus illa prodit e veritate. Noli proinde omnia pariter arguere illusionis atque erroris, nam ni esset veritas, non exsisteret in mundo fraus ulla.*“ — Quid est igitur cur sit dubitandum aliquando tandem innatum populorum omnium desiderium expletum eosque, quem desiderabant nactos esse divinum sospitatorem, si cum ejusmodi desiderio ratio facit, si antiquitas, si nationes omnes, si philosophi, si denique hoc semper putatum est? Nae ultra modum sapere videntur, qui omnium spernunt aevorum et hominum consensum.

mo frustra veritatem rimatus esset, e propheta nostro, quaenam rerum prima fuerit creationis veste induta? Cui propheta: *Lux prophetae tui, o Dschaber! prima rerum omnium producta est.* Nunc nequit in occulto esse hoc de dicto viros doctos magnam in contentionem venisse, namque exstant traditiones variae. Alii prophetam dixisse referunt: *Primum quod Deus creuvit lux mea est*, alii: *Primum quod Deus creavit intellectus est*, alii: *Primum, quod Deus creavit calamus est.* Aliam denique duplicem traditionem subnectit auctor libri: *Raritates Significationum*: *Primum quod Deus creavit tabula est* et *Primum quod Deus creavit, Spiritus est.* Quarum traditionum interpretandarum varii varie periculum fecere. Praestantissima autem interpretatio, ni fallor, illa est apud Ben Assadi Al Jemani in libro laudato: *Raritates Significationum*, cujus verba haecce sunt. „„*Significat propheta per omnes illas metaphoras materiem*, eo respectu quod *ipse* ex

ea est productus atque alia producit, idemque propheta nuncupatur, *lux Dei*, quando perfectionis absolutae copia immediate e fonte aeterno in suam sacrosanctam personam redundavit. Nuncupatur *calamus Dei* quod ipse scientias consignavit in tabulam absconditam vel animi folia. Nuncupatur porro *intellectus*, utqui intelligentem reddiderit et se ipsum, et rerum universitatem. Ad ultimum nominatur *tabula Dei* utqui locus sit universae rerum naturae et *spiritus sanctus*, quod quum ipse per se vivens sit tum in vitam vocet et alios. Hoc itaque pacto evictum videmus pluribus subesse nominibus unam personam nominatam. Quare summa disputationis in eo posita est, in Muhammede, quem etiam vocant materiem albam, revera sese Deum manifestasse. Ea vero materies in duas sejungebatur partes. Ex altera, quam lucem dicunt, prodibant astrorum coelestium intellectus, prophetarumque sapientium et conspicuorum virorum spiritus, ex altera, quam dicunt ignem, vilium et miserorum ani-

mae, ex quo planum est nihil verius esse versu Curanico: *Nisi tu fuisses Muhammedes, non creata essent atria coelorum!"* — Hactenus Mirchondus, cui socium subjungimus Nessephitam, qui cod. ms. p. 32, c. IV: „Scito *materiem, quam primam vocant, vel mundum magnum*, primam rerum omnium atque uno quidem momento vel adeo celerius provenisse. Cui nomina ponunt varia. Vocatur enim: *intellectus primus, spiritus adjunctus* (i. e. mundo adjunctus), *spiritus Muhammedis*. Ad sublimitatem ejus capiendam nemo valet nisi Deus Unus Maximus, tam excelsa est, tam subtilis, tam sapiens, tam propinqua Deo, tam praesens et tantopere exoptata, siquidem non licet cuiquam, ne momentum quidem absenti esse a persona illa clarissima; nec posset, nisi per eandem materiem primam Dei copia transferretur, ulla natura hujus copiae particeps fieri, quoniam receptandae ejus apta dispositione omnes carent caeterae naturae. — Porro scito *eandem materiem esse verbum divi-*

num, per quod loquitur Deus cum mortalibus, quod idem jussum erat, secundum effatum: *Esto et erat*, singulas scribere naturas i. e. intellectus, imagines (Dei imagines, puta: animas), coelos, astra, elementa, naturales dispositiones." — Ejusdem tenoris sunt, quae ex opusculo Malaico expromsit vir quidam doctus inque libro exhibuit, cui titulus: *The Indo-Chinese Gleaner. Malacca, at the Mission-Press.* 1817, p. 41: „In the beginning the mighty Jehovah sent forth a living figure of Mahomed, this illumined figure, [probabiliter legebat vir doctus بيضا] struck by a glance of the Sovereign Lord was agitated like water in a boiling caldron. From the sweat of its (the illumined figure) head, he formed all the angels; from the sweat of its face, he formed the empyrean and crystalline spheres, the tablet of record etc., from the sweat of its breast, he formed the inspired prophets etc." — Haec circa communes de Muhammede gregis Muhamme-

dici opiniones praemuniendas duximus. Transimus ad dictata Ssufiorum.

De consilio et conditione prophetarum in universum hisce in locis dicitur:

Misit Deus prophetas in terram misericordia motus erga homines (Dschelal. T. III p. 120), ut ad eos confugere possent miseri atque aegrotantes tanquam ad tabernaculum Jesu (Dschelal. T. III p. 20), *studium enim eorum et consilium est: jungere particulas disjectas cum universo* (Dschelal. T. I p. 180). — De eorum ratione ad Deum agitur in Metsn. T. I p. 231: „Oculus lippus si Solis splendore se nimis praestrictum sentit, in astri oportet lumine acquiescat, quoadusque invenerit viam. Namque dixit propheta: *Viri docti astra sunt.* — Quomodo sentire posset, qui a Sole procul abest, lucem a coelo profectam? Tamen quid stellam ad Solis lucem adhibere opus est? — Lunae lumen a Sole fluxit, ideo libenter confitetur terris et nubibus: „„*Creatura ego sum, ne tantillo quidem vobis major, sed instillatur mihi*

(v. Ssurat ol Kehf in Curano: *Dic equidem homo sum, sed inspiratur mihi Deum vestrum esse unum.* Id nimirum submisse de se profitebatur Muhammedes). Quoad naturam meam non minus ac vos ipsae obscura sum, sed Solis instillatio tam lucidam me reddit. Comparata cum Solis lumine sum obscura, at respectu ad animarum tenebras sum lucida. Nisi fueris vir lucidissimus, nequeo facere ut jubar meum feras. Quo mihi ad aegrotum viam pandam dulcis sum simulatque acerba tanquam potus e melle et aceto mistus. At simulac pristinam tuam recuperasti valetudinem quid amplius curas de aceto; tunc vesceris favo, jamjam fulcimento suo gaudet thronus cordis, purus est animus, in eo Deus ipse regnans sedet quasi in coelesti sede, neque ullo in posterum, postquam Deus imperii fraena capessivit, immediato imperio amplius gubernatur, Deus fit cor, hoc ubi tale fulcimentum nactum est. Sed ubinam horum inveniam verborum terminum? Non est mihi plura dicendi licentia jucunda;

nam non sapienter factum esset longiori sermone ejusmodi mysteria persequi, quum hinc occulta et abdita in lucem veniant tanquam in resurrectione corporum." [1]) — Quum his in versibus oratio poetae non solum in vulgum invehatur, quod ad detrimentum venerationis erga Deum, coeco studio in Muhammedis nomine haeret, [2]) sed simul ad rationem mysticam instituta sit disputatio, ut probetur religiosissimum quemque ad illam quam Muhammedes impetravit dignitatem posse eve-

---

1) این سخن پایان ندارد زید کو
تا بگوییم نیست رسوایی نکو
نیست حکمت گفتن این اسرارها
چون قیامت میرسد اظهارها

2) Servatum est in Teskirat ol Aulia memorabile Rabiae dictum, perhibentis, se ob superantem amorem erga Deum prorsus oblitam esse Muhammedis.

hi: non ita mirum est, quod hic detrahi aliquid videtur a prophetarum auctoritate. Eam enim alias non tantum omnibus student modis firmare et augere, sed omnino aequiparant prophetas suos Numini ipsi. Allegant ad hoc propositum traditionem, quam ferunt a Muhammede acceptam: *Prophetae sunt particulae Dei* v. Gloss. ad Metsn. Tom. I p. 123, quod idem pronunciat poeta, Metsn. T. III p. 6:

گویا هستند این اجزای من
هان هان این زلف پوشان من اند
صد هزاران 1) در هزار و یک تن اند

---

1) Locutio هزار در هزار non explanatur a cl. Lumsdenio. Reperi exempla alia significatum illustrantia. Mets. T III p. 16:

زر اگر پنجاه اگر شصتت دهد
ماهیا او گوشت در شستت بود

„Dixerim prophetas Dei particulas esse, cave laedas viros illos cilicio amictos, Deus sunt, centies mille sunt vel plures, sed unum corpus!" — Quapropter audimus Dschelaleddinum jam fidibus altioribus canentem T. I pag. 124:

مطلق آن آواز خود از شه بود
گرچه از حلقوم عبد الله بود
گفته اورا من زبان و چشم تو
من حواس و من رضا و خشم تو

„Voces illae sonant e Deo, tametsi audiantur e gutture Muhammedis. *Dixit ei Deus:* [1])

Hic conjicio legendum esse: درشست شست.
cf. etiam Metsn. T. III p. 28:

گر بود آن سوی صد در صد مکنم

Haec exempla aegre exquisita vindicant meam versionem.

1) Haec e traditione petita sunt arabica:

Ego sum lingua tua et oculus, ego sensus tuus, ego patientia tua et ira.“ — et ibid. p. 125: Beatus ille, qui me adspicit, vel qui adspexit me conspicatum (Glossa: Traditio [1]) exstat: طوبي لمن رأني فهو يري الله وطوبي لمن يبصر لمن رأني

قال الله اذا احببت عبدا كنت له سمعا وبصرا ونطقا ويدا حتي بي سمع وبي بصر وبي نطق اين مقام تمام الفقر ست

Dixit Deus: Si servum diligo fio auditus ejus, visus ejus, loquela ejus, manus ejus adeo ut sine auditu sit, sine visu, sine loquela. Hic gradus perfecta abnegatio est (فقر Selbstverleugnung).“ —

1) Eandem legimus memoriae proditam traditionem apud Attarum cod. ms. p. 125, Nesse-

Beatus qui me vidit, vidit enim Deum, et beatus qui eum vidit a quo adspectus sum). Nam candela si lampadem accenderis, vides, dum lampadem intuearis etiam candelam, itemque adeo si centum lampades incenderis futurum est, ut in una quaque videas candelam; vel dic quid referat lampadem incendenti, a postrema lampade lucem petat an a candela ipsa?" — atque p. 160 ibid.: „Mens sunt prophetae mentis humanae, atomus sunt in quo Sol latet, ovis in qua leo masculus, oceanus sub palea occultus." — Sic Attār cod. ms. p. 40 Muhammedem fingit, dum intente et enixe rimatur naturam suam, se Deum perspicere „*omnia*, sic ait Attār, *videt Deum esse*, percipit, mirabile dictu, in Deo latere Deum." — Asisi cod. ms. p. 2 de Muhammede profitetur: „E mysterio unitatis absolute par erat Deo, apparebat in eo species Absoluti." — Sicuti Christiani praecipiunt

---

phitam cod. ms. p. 54, Ghasalium cod. ms. et alias.

Christum in animis fidelium gignendum esse, ita docent Ssufii exprimendam imaginem Muhammedis in animis nostris, Mets. I p. 138. — Nunc jam videamus, ut a Ssufiis Muhammedis dignitas ceu λογs seu manifestatoris describatur, quam ample et ornate sic celebrat Dschamius in Tohhfat olebrâr: „Ille stella est in astro (Sternbild) claritatis naturarum, gemma est in capsula conchae naturarum, primus in oceano Numinis aeterni motus, motorque ipse essentiae et privati. Etenim quum instituisset calamus favoris divini litteras consignare, ille primus styli erat ictus. *Ubi unitatis punctum se extenderet, Ahhmedis causa Eliph factum est, illoque Elipho constituto diametri instar divisit se circulus mysteriosi Numinis in duas partes,* semicirculus alter complexus est mundum aeternum, alter mundum terrestrem.“ —

Hîc habes Ssufiorum de prophetis ac peculiariter de Muhammede opiniones, ad quas nec habeo quod addam, nec plura addere

oportet quandoquidem nihil differunt Ssufiorum scita a mysticis, de quibus diximus supra. — At reliquum est ut, ab altera quoque parte ostendatur Ssufismus qua confundens religiones omnes, cunctos in aequo ponit diversissimorum populorum prophetas ac magistros divinos. Recte animadversum est religiositatem si ultra limites sobriae continentiae evagatur, nullo non tempore propendere in irreligiosum ac profanum propositum et vitae genus. Etenim ubi ejusdem appulsus divini mortales cuncti pariter judicantur compotes, in hac ipsa autem mysteriosa cum Deo necessitudine caput collocatur et summa religionis, spretis qualibuscunque formis exterioribus nequit non consequens esse ut non modo religiones quaeque ejusdem habeantur pretii id est pro vano, notionum quarundam sublimium involucro, verum etiam ut effraenata aliqua ingenia cum normis religionis positivae abjiciant simul morales leges clarissimaque conscientiae praecepta. Hoc quum aliarum disciplinarum prae-

posterus mysticismus, tum non minus Ssufismus confirmat proh nimis degeneratus. —

Legimus apud Dschelaleddinum cod ms. Tom. I p. 46 caput hujusmodi inscriptum: „*Quod omnes prophetae Deus sunt, nullumque inter eos exsistit discrimen*,“ idque sic incipit: „Etsi centum tibi videre videaris mala vel centum cydonia; compressa, unum fiunt. Substantiae nec numerari queunt nec dividi nec dispesci, quocirca si tibi cordi est sub forma ceu talismate reperire unitatem ceu thesaurum, praestat, neglecta forma unice curare de substantia. Etenim dummodo accurate ad favorem Domini attendas, tunc ille, liquefacto corde (i. e. mundato corde) semet ipse in pectore ostendit; ipse Derwischius est, quem sarcinantem vides cilicium suum (i. e. vel vilissimam formam non despicit). *Nam olim cuncti fuimus una simplex substantia*, sine principio sine fine, simplex ut sol; limpida ut aqua. Tunc primum, ut lux illa inclusa est in formas, videbatur multiplex ad instar umbrarum corporum.“

rum." — Similia tradit T. II. p. 14: „*Precantibus viris, sincere religiosis unum in coagulum coalescunt omnium prophetarum laudes. Ut cyathorum aqua effusa in pelvim unam, ita laudes omnes permiscentur; quoniam unus totus est laudatus, omnes religiones unam formant religionem. Scito laudes omnes meare ad divinum lumen singulisque mutuas datas mortalibus. Quomodo proinde venerari possent praeter eum, qui solus veneratione dignus, licet longe a veritate aberrent cogitationes eorum. Fit tunc, quod solet in muro repercutiente lumen solis, cui in se recipiendo impar est. Umbra redit ad radicem suam: stultus prolabitur, at preces ejus manent. Cernit aliquis in puteo lunae lumen repercussum; capite in puteum demisso veneratur vanam speciem, haec quidem nulla audit, revera autem lunam colit; etiamsi stoliditas ejus se prosternit umbrae, ex animo tamen veram lunam petunt preces suae.* — Firmius et apertius

procedit Asisius, cod. ms. pag. 29 et 30:

بود هستي بهشت امكان دوزخ
من وتو در ميان مانند برزخ
بزير پردهٔ هر ذرّه پنهان
جمال جانفزاي روي جانان
چو برخيزد ترا اين پرده از پيش
نماند نيز حكم مذهب وكيش
همه حكم شريعت از من وتست
كه آن بربستهٔ جان وتن تست
من وتو چون نماند در ميانه
چه مسجد چه كنشت چه دير خانه

„Id quod *necessaria existentia* gaudet paradisus est, quod *possibili* est, Infernum; quod inter Paradisum atque Infernum stat parietis instar, est: *Ego* et *Tu* (i. e. individuae personae). Latet sub quoque atomo

occulta, tanquam velo obvelata, faciei divinae venustas, animas delectans; id qui velum detegerit e vestigio perspiciet sectae et religionis cujusque vanitatem. Universa enim legis praecepta ex *Ego* et *Tu* pendent (i. e. data sunt, quibus nondum vera doctrina est perspecta); pendent a filo animae tuae et corporis. *Demto vero illo Ego et Tu, quid amplius prodest Mesdschid, Ignicolarum templum, Christianum monasterium?* " —

Prae aliis locis hic allegandum illud a cl. Hammero in vernaculam conversum in Gesch. d. pers. Dichtk. p. 191:

„Moslimen liebetrunken in der Welt bin ich,
Ungläubiger und Gläubiger, betrunkner Mönch;
Die Scheiche Bajasid und Schubli und Dschuneid;
Abu Hanifa, Hanbali und Schafei bin ich,
Des Himmels Thron und Zelt vom Staube bis zur Plejas,
Was du nur siehst in Trennung und Genuſs bin ich,
Ich bin die Weite zweier Bogen von dem Thron (Muhammed),

Das Evangelium, der Psalter, der Kuran,
Ich bin Usa und Lat (arabische Götzen), der Baal und Dagon,
Die Kaaba und der Ort wo man die Opfer schlachtet.
In zwei und siebzig Secten ist die Welt getheilt,
Doch nur Ein Gott, der Gläub'ge der ihn glaubt, bin ich.
Weist du was Feuer, Wasser, Luft und Erde sind?
Das Feuer, Wasser, Luft und Erde all bin ich!
Die Lüge, Wahrheit, Gutes, Böses, Hartes, Leichtes,
Die Wissenschaft, die Einsamkeit, die Tugend, Glaube,
Der tiefste Höllenabgrund, die höchste Quaal der Flamme,
Das höchste Paradies, Huri, Riswan bin ich!
Die Erde und was darinnen,
Der Engel und der Teufel, Geist und Mensch bin ich!

Was ist der Rede Ziel, o sag' es Schems Tebrisi!
Des Sinnes Ziel ist dies: *Die Welten Seel' bin ich.*" —

atque ib. p. 188 e Dschelaleddino:

Als mir Glas und Wein und Schenke eins ward:
Trat ich Gauren und Moslimen nieder.

Praeterea ab hoc loco non absona est ode, auctore Schemseddin Tebbrisii magistro Dschelaleddini nostri, quam cl. Graham transtulit et edidit in *Bombay Transactions, London* 1819. p. 108:

„What advise o Musselmans? as I don't know myself. I am neither Christian, nor Jew, nor am I a fire-worshipper nor Mussulman. I am not from the East or West, nor am I of land or fire. I am not of the contry of Irak nor am I from the land of Khoorassan. I am neither of water nor air, nor am I of fire or earth, I am not of Adam or Eve, nor am I of the Inhabitants of Paradise, my place is no place, my sign is without

sign, I am neither body nor soul, what is there then? *I am the soul of my beloved.*" —

In his quidem carminibus illam quasi in triumpho exsultabundi et ovantes superbiam positivas despicientem religiones prae se ferunt, verum tamen alias non eos pudet anxiae, ne haec temeritas ab aliis resciatur, et circumspectae cautionis, minime nescios, sibi in Muhammedanorum ditione apertius errores illos professuris communem instare internecionem.

Ad extremum tribus verbis tangendam existimo ingentem, qua Ssufii eminent, Pirorum suorum sive Seniorum reverentiam. Rectissime observatum est a cel. *Anquetilio ad Upnekh.* T. I p. 462: „Apud Indos et generatim apud Orientales, paucis exceptis, quos Deus immediato flatu erudivit, institutio a magistris accipitur." — Qua solenniori autem veneratione omnino Orientales magistros suos colunt, eo magis honorabantur ab asseclis suis sectarum capita. Id quod praecipue

ex Assassinorum discitur historia aliarumque sectarum Ssufiis cognatarum. De Ismaelitis quum satis hodie sit disputatum, unum locum protulisse juvabit circa *Ruschenios* (i. e. illuminatos), sectam Ssufiis et Ismaelitis consimillimam, quorum caput et princeps Bajesid, interprete doctissimo D. *Leydenio in Asiatic. Res. T. XI p.* 380, sic praecepit discipulis suis: „*Since nothing exists but God, what meaning can be assigned to such words as right and wrong, good and bad, excepting that every man should implicitly obey his Pir, or religious instructor? — Behold now, added he, I am both your God and your prophet.* If you fulfill my commands I will after death restore you in the form of men, if not in the form of hogs and bears, but those who obstinately disobey my commands, shall be utterly annihilated." —

Ssufios perpetua Senioris commendatione id etiam spectasse ut tirones imperiti, quominus in propositum vitae dissolutae delabe-

rentur, [1]) impediri possent, minime quidem diffido, ratio vero etiam, ut opinor, suberat, quod, ni Senior circumspectus licentiam juniorum, ingenti aviditate res nunquam antea auditas haurientium, cauta prudentia esset moderatus, arcana nimis temere in vulgum sparsa quum Muhammedanismo tum Ssufismo summopere perniciosa exstitissent. — Infinitum foret, quam seduli sint in Senioribus commendandis omnes Ssufii, [2]) ac praesertim

1) v. c. Dschelaleddinum T. III. p. 15: „O juvenis, in itinere tuo multi sunt daemones variis ratiocinationum fraudibus te circumventuri, idcirco utere cautione! Pirum assume!" —

2) *Malcolm Hist. of Persia* T. II. pag. 301: „One sect among the Soofis, *Talkinie*, teaches that to read any book except one written by a Soofi is unlawfull, but even from these books can nothing be learnt without the aid of a holy teacher," v. ibid. p. 415. in notula: „The moorteza Shahee, a sect of the Soofis make an image of their teacher in clay, which the dis-

Dschelaléddinus, pluribus illustrare. Sufficiat ut e testimonio Nessephitae clarescat quantum etiam a Derwischiis industriae sit adhibitum, quo alte animis discipulorum persuasio imprimatur de summa Senioris utilitate, dignitate et excellentia. v. cod. ms. c. V. p. 14: „Porro scito plurimum valere consuetudinem cum Seniore, nam discipulus, sive bonus sive malus sit, sine magistri ope omnino impar est metae contingendae. Ideo pro certo et concesso habeas, paucis admodum exceptis, quos Deus ipse ad metam ducit, absque duce licere nemini ad scopum pervenire.“ —

---

ciple keeps to prevent him from wandering, and to bring him through continual contemplation to complete identity with his guide or saint.“ —

Caput octavum.

De mystica et symbolica Ssufiorum oratione.

Per figuras, symbola et aenigmata veritatem tradere altissimam, qui docendi modus fons mythorum plurium antiquitatis, a prisca inde vetustate Orientalibus erat consuetissimum. Ea enim doctrinae exhibendae methodus, ut universe imaginationem blande allicit et stimulat ad arcana abdita investiganda, ita ad ingenia rudiora, praesertim Orientalium perpolienda atque erudienda, qui vi illa infinita pollent imaginationis, longe videtur abstractis Occidentalium notionibus aptior atque efficacior. [1]) Haec ipsa et Ssufiis

---

1) Egregie huc facit et anthropomorphisticum, ut ajunt, librorum sacrorum sermonem vindicat paragraphus in: *Einleitung in das Studium der Dogmatik v. Baumgarten-Crusius, Leipz.* 1820 p. 30: „Wir können nicht glauben, dafs

probabatur. Quid enim? Omnino laboravisse mysticos in aptis ad mentem suam exprimendam sententiis et locutionibus invenien-

---

der Mensch von Natur einen unglücklichen Hang zur Speculation habe; dieser ist vielmehr durch die übeln Angewöhnungen im sinkenden Alter der Welt, in die Menschen gekommen. *Er hat sogar seinen Ursprung in den herrschenden niedrigen Vorstellungen von Gott gehabt, denn durch diese wurde der menschliche Verstand übermüthig gemacht: durch alle diese auch die erhabensten Speculationen aber wird Gott erniedrigt und die Scheu vor ihm gemindert; und es ist am Sinn und in der Wirkung ganz gleich ob man sich eben grob anthropomorphistische oder hoch speculative Begriffe von dem Unendlichen mache.* Es hat niemand dies naiver ausgesprochen als *Zinzendorf* (*Müllers Bekenntnisse* T. III. p. 128): „„*Unsre Begriffe von Gott, die wir hier uns auf das gescheidteste machen, sind in der Ewigkeit eben so viel Absurditäten und Skandale. Du Gott! bist nur dir bekannt.*““ —

dis, eamque ob causam haud raro ab Occidentalibus prorsus novas dictiones esse excusas, quis est, qui ignoret? Itaque, quo studiosius gentes Eoae vel innata animi propensione symbolico dicendi generi sunt addictae, eo magis in proclivi erat Mystis Orientalibus, metaphoricum, symbolicum et aenigmaticum sermonem nudis praeferre philosophicis enunciationibus. Aurem praebeamus Asisio cod. ms. p. 70 querenti sensum ne metaphoris quidem absolute posse reddi: „Hae voces, licet perceptae auditu, tamen positae sunt sensui interno, nam quum infinitus sit mundus ille spiritualis, qui fieri potest, ut vocibus describamus notiones ejus. Dic, quomodo posset, interiori solum sensu percipiendus, sensus, clarior fieri, si translatus in inanes voces. Verbis similitudo quaedam offertur quantulacunque, vide tamen ne quid ab iis ultra requiras, res quandoquidem per verba nunquam reddatur absolute.“ —

Nec tamen solum quo facilius, sed quo tutius etiam arcana sua traderent, figuras

adhibebant. Scrupulose hoc commentatur Dschelaleddinus (Metsn. T. I. p. 12; quibus cum versibus cf. quae habet Asisi cod. ms. pag. 89) qui ab Hussam-oddino etiam atque etiam rogatus ut libellum conscriberet de ecstasi, in hunc modum respondit: „Agedum experiamur, tecte vero malim amici (Dei) mysterium tradere, ideo narratiunculis tibi auscultandum est, certo enim significare praestat amicorum mysteria per narratiunculas alienorum. — Tum Hussām-oddinus: Dic potius nude et aperte, nam aperte dicere de religione potius habeo; confitere sine ambagibus: 'Idoli et indusii (Josephini) [1]) amore dies noctesque torqueor. — Cui Dschelal-

---

1) Idolum est: *Deus*, Metaphoram *indusii Josephini* (ex cujus odore, secundum traditionem Curani, Jacobus suspicabatur has reliquias filii esse dilecti) hujusmodi illustrat lib. Turcicus cod. ms.: „*Sic dicitur sensus in sensu et velum orationis propositae figuris et aenigmatibus.*“ —

eddinus: "O amice! Illud, si nude proponam, mysterium, nec tu manes nec ripa tua [1]). [legit codex noster نه مانن puto supplendum esse: برمیان]. Desiderium si tibi est, vim etiam exopta, quippe nequit culmus unus montem ferre. Si sol, qui hunc mundum calefacit, paullo tantum propiori appulsu eum tangeret, statim universus exardesceret terrarum orbis. Quamobrem desistas quaeso ruinam tuam velle atque internecionem." — Ejusdemque tenoris illud Meisn. T. III. p. 139: „*Ut laus a profano occulatur, hae positae sunt a Deo narratiunculae instar fabularum.*" — Sed talia jam a nobis cumulata sunt testimonia, e Ghasalio, Dschelaleddino, Asisio, quibus ex supervacaneo subteximus duos versiculos Attari in Dschauher odsāt cod. ms. p. 18: „Retrahe fraena ab itinere mysteriorum, nam non omnibus datum est capere mysteria." —

---

1) In eodem libello *ripa* explicatur: *Invenire mysteria eaque diligenter et studiose servare.*

Ex ingenti autem metaphorarum multitudine tria maxime genera digna sunt, ad quae singula animus adhibeatur noster, ea nimirum, quae ad amorem pertinent, ad vinum et ad irreligiositatem. — Figura, qua Deus ceu maritus populi effingitur, populus ceu uxor, nulli nationum Orientalium ignota fuit; tam vera est, tam simplex simulatque tam gravis significationis plena. De Hebraeis hac metaphora usis scienter tractat beatus *Jahnius* in *Archaeologia Hebr.* P. II. T. II. p. 245 sqq. — Indorum sententiam edisserit cl. *Jones* in *Asiatic Res.* T. III. ubi expromit carmen amatorium mirae dulcedinis tersaeque suavitatis de *Krischna* Deo [1]) expetente puellam *Radha* (رضا i. e. *die Hingebung der menschlichen Seele*), cujus poe-

---

1) Commemorantur etiam non pauca de amoribus Krischnae in codice Indico *historiam pueri Krischnae* continente inter Cod. Borg., e quo Paolinus hanc particulam excerpsit: „Le pastorelle gelose dicevano Krisena a trovato

matii elegantissima nuper nos donavit versione germanica *Riemschneiderus Halae* 1818. — Jam haec figura, generatim apud Muhammedanos haud infrequens, tantopere Ssufiis solennis facta est et familiaris, ut non solum Deum constanter puellae nomine celebrarent aut amicae aut amici aut pueri, sed adeo singulas ejus virtutes laudibus ornarent sub nominibus singularum venustae praestantiarum puellae ejusdemque membrorum illorum quae gratia maxime conspicua sunt; verbo omnia quae de amore valent inter mortales in Deum ab iis accommodabantur, namque jam in principio commemoratum est eos non secus ac Beghardos et Indos intimam conjunctionem cum Numine aequiparavisse concubitui carnali. — Sunt libelli complures in quibus hae singulae perlustran-

delle belle cittadine, noi siamo povere pastorelle, *egli s'è sposato con 16000 donne ed otto regine.*" —

lustrantur metaphorae; nec ab re erit aliquas Ssufiorum mysticas explicationes hîc apponere, excerptas e turcico opusculo illius generis: „خم زلف *cincinnorum circuli.* [1]) Sic divina dicunt mysteria, nemini praeter Deum ipsum nota. — جبهه *frons.* Sic divinorum dicunt arcanorum manifestationem. — زنخدان *mentum.* Sic dicunt stationem, qua summa gustatur dulcedo in contemplatione Dei. — سیب زنخدان *pomum menti* (hîc de faveola menti). Difficultates sic vocantur divinae, in quas homo incidit velut in abyssum praecipitatus. — غبغب *palear* (barbozzo, Kader). Dulcedinem vo-

---

1) Affert eandem interpretationem doct. *de Sacy in Pend-Nameh,* Paris 1819 p. 187 e commentatore turcico: „Par ces boucles de cheveux et cette chaîne, il faut entendre les mystères de la divinité et l'application de l'esprit à la vérité: être lié de ces chaines à la plus douce des voluptés." —

cant super-abundantem, qua gaudet qui scientiam jam est adeptus, et sic porro. — Jam vero hic locus ipse admonet dubitationi multorum satisfacere utrum Hafisius in odis suis aliique innumeri Persarum, Arabum, Turcarum poetae, deliciis sensuum adeo capti, revera nihil aliud sibi voluerint quam Anacreontica levitate animoque supino fragilia et caduca terrestris vitae abjectaeque voluptatis gaudia commendare, an contra et illi non immemores fuerint *Ciceroniani eloquii in somnio Scipionis: Infra autem jam nihil est nisi mortale et caducum praeter animos generi hominis munere Deorum datos, super lunam aeterna omnia.* At oriens nunquam graecatus est; nunquam exiles terrestris vitae delicias potiores habuit sempiternis in vita beatiore. Errare potest incola regionum illarum et decipi in consiliis et ratione Dei anquirendi, sed quaerit creatorem suum, et scrutatur indefessim; quo favorem ejus sibi conciliet nulli parcit labori, nullos recusat dolores et tormenta. Sustinet Sinen-

sis ad honorem Dei Tin, capite suo carbones candentes (v. *Zimmermann Taschenb. der Reisen*, tab. pict.) cubat Indus super lectica clavulis consita (*As. Res.* tab. pict.), alligat monachus turcicus capillum suum ad paxillum tabulati (v. *Muradgea d'Ohsson*, tab. pict.): scilicet hi omnes ambiunt favorem Numinis, eorumque vel perversum studium certe supinae praestat incogitantiae. Ideo jam a priori conjicere liceret ab hac religiosa Orientalium omnium indole et consuetudine nequaquam deviasse Ssufios. Sed adsunt testimonia in hac re locupletissima, nam non a juvene quolibet perdito condita sunt carmina illius mystici generis sed ab ipsis viris religiosissimis, quibus nihil sobria piaque vita carius; ac praeterea tam familiares metaphorae istae Muhammedanis quoque sunt religiosioribus, ut nullus omnino penes diligentius rem perpendentem dubitationi locus relictus esse queat. Amplissimis demonstrationibus hanc nostram sententiam firmare possemus, sed quum paucis defungendum sit, satis

habeo ac auctoritatem doct. *Kosengartenii* provocare, qui identidem in Ephem. litter. Jenens. in hoc argumento versatus, atque adeo Cantici Salomonis interpretationem mysticam docte patrocinatus est. Adstipulatur [1]) eruditissimus doctorum Orientalium choragus *de Sacy*, ut qui nuper in libro: *Pend-Nameh* pluribus mysticum Hafisii tenorem recognoverit et vindicarit v. p. 52: „Il ne faut pas oublier que dans le langage mystique des Sofis, le vin et l'ivresse sont l'emblême de l'amour divin et des ravissemens extatiques. Le poëte oppose cet amour mystique et surnaturel aux froides pratiques d'une religion toute extérieure." [2]) — cf. ibid. p. 92, 182, 284.

---

1) Cl. de Hammer non ubique mysticam significationem agnoscit, sed tantum hîc illîc, ita ut alterne nunc haec praevaleat, nunc vulgaris.

2) Quis est, cui haec legenti in mentem non veniat sectarum in aevo medio?

Altera metaphorarum classis est, quae de vino agunt atque temulentia: cujus generis sunt cod. ms. turç.: „شراب پخته *potus coctus*. Sic dicunt amorem purum, cui nihil admixtum humani. — مي *merum*. Sic vocant summam ebrietatem, ex qua propemodum vel turpiter facta prodeunt, sive apud primores sive apud vulgum, sed apud plebeculam oscitantia est et libido metaphorica, quemadmodum dixit propheta: *Ne ad preces accedatis ebrii!* verum apud praestantiores viros inflammatio ac desiderium appulsu divino excitatum ita ut vociferentur: *O Deus victum nobis praebe!* — ساقي *pocillator*. Sic largitorem gratiae clementissimum appellant, qui animos, ebrios mero misericordiae, in quietem tradit. — قدح *poculum*. Sic appellatur status ecstaticus cum Deo per contractionem et expansionem,

---

1) Dschordschani, a cl. de Sacy excerptus Extr. *des mss. de la bibl. royale T. X n.* 187

